mitantes: ſed neutrum eſt veriſimile. Non primum; nam hoc eſt contra rationem meriti, quod habet rationem viæ ad terminum, via autem non ſequitur poſt terminum; & ſicut ei, qui jam eſt in termino, non convenit moveri ad terminum, ſic nullus meretur, quod jam habet: non ſecundum: nam gratia, quæ eſt principium merendi, eſt ex conditione ſubjecti nondum perfecta, & adhuc amiſſibilis; beatitudo vero eſt gratia perfecta conſummata, & prorſus inamiſſibilis: ſed idem ſubjectum nequit ſimul informari gratia perfecta, & conſummata, & nondum perfecta nec conſummata; prorſus inamiſſibili & adhuc amiſſibili; ergo non videtur eſſe poſſibile, quod ſimul fruatur, & mereatur ſuam beatitudinem.

VII. Dices. Chriſtus habuit ſimul actus Viatoris, & Beati, fuit beatus, & ſimul merebatur; ergo non eſt incompoſſibile eſſe beatum, & ſimul mereri.

Reſpondeo, inſtantiam contra Adverſarios retorqueri poſſe. Nam Chriſtus, quia beatus non meruit ſibi ſuam beatitudinem, ſed noſtram; ergo nec Angeli jam beati ſibi mereri poſſunt beatitudinem. Deinde hoc in Chriſto fuit particulare; quod, cum eſſet non tantum homo, ſed Deus, & cum eſſet caput noſtrum, ex quo omnes gratiam eramus habituri, haberet ſimul gratiam Beati, & viatoris, inamiſſibilem tamen, & nullius capacem augmenti ob unionem ad Verbum; quod de Angelis dici nequit.

VIII. Sed adhuc dices. Non eſt repugnans, ut retribuatur merces pro laboribus, & meritis ſubſequentibus; ſicut Sancti Patres gratiam receperunt ex meritis futuris Chriſti; ergo potuit Angelis beatitudo conferri ex meritis, quæ poſtea comparaturi erant; ergo merces poteſt antecedere meritum ordine temporis.

Reſpondeo, poſſe antecedere, quando merces non eſt interna perfectio operantis, ſicut gratia quæ per merita Chriſti futura data fuit antiquis Patribus; hæc enim Chriſto extrinſeca erat: At cum merces eſt interna perfectio operantis, ſeu ipſi operanti intrinſece rependitur, non poteſt eſſe in eo, vel ante meritum. Hinc eſto præmia Chriſto extrinſeca potuerint præcedere ejus paſſionem, immo & Incarnationem; glorificatio tamen corporis, utpote ei interna, non niſi poſt Paſſionis meritum ſecuta fuit, dicente ipſo Lucæ 24. v. 26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* & Angeli beati per officia, quæ hominibus impendunt, merentur quidem majorem beatitudinem accidentalem, non tamen majorem beatitudinem eſſentialem.

§. II.

De via Angelorum.

IX. Cum ex dictis meritum Angelorum debuerit tempore præcedere eorum beatitudinem, & tempus merendi ſit tempus viæ; naſcitur dubium (& quidem ſolutu non facile) quanto tempore Angeli manſerint in ſtatu merendi, ſeu ſtatu viæ, antequam qui perſeverarunt reciperent præmium beatitudinis; qui vero lapſi ſunt, pœnæ ac ſupplicio addicerentur æterno.

X. Suppono ex D. Thoma hac *q. 62. art. 5. ad 2. & q. 63. art. 6. ad 4.* quod in Angelis, qui non ſunt ſubjecti motui Cæleſti, tempus, & inſtantia accipiuntur ſecundum ſucceſſionem operationum intellectus, vel etiam affectus. Quare dum Angelus modo intelligit, & vult unum, deinde intelligit, & vult alterum, hi actus cognitionis & voluntatis ſibi invicem ſuccedentes conſtituunt diverſa inſtantia angelica, & diverſum tempus, diſcretum tamen, non continuum.

XI. Noto etiam, quod ut operationes angelicæ conſtituant diverſa inſtantia, debent eſſe diverſæ, & de objecto diverſo; ſi enim, dum unus Angelus de uno actu tranſit ad alterum, alius in eodem actu perſeveret, ea quæ reſpectu primi ſunt duo inſtantia, reſpectu ſecundi idem inſtans eſt; quia in hoc non adeſt ſucceſſio operationum, ſed eadem operatio perſeverans.

XII. Suppono etiam ex dictis, quod omnes Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis, ſeu ſuæ operationis meruerunt, deinde aliqui in merito continuarunt, alii in demeritum, & culpam lapſi ſunt, ideſt aliqui in Deo, quem ſtatim conditi amaverant, diligendo perſtiterunt; alii a Deo, quem prius amaverant, ad ſeipſos amandos converſi ſunt: illi propterea facti fuere beati, iſti in æternum miſeri. Hæc fuit Angelorum via; breviſſima quidem. Unde quærimus, quot inſtantibus tam in bonis quam in malis Angelis duraverit. Miſſis ergo variis opinionibus etiam inter Thomiſtas.

XIII. Dico primo. Via bonorum Angelorum duobus inſtantibus completa fuit; in quorum primo ſunt creati, & meruerunt, & in bono perſtiterunt; in ſecundo autem beatitudinem receperunt. Ita D. Thomas hac q. 62. artic. 5. dicens: *Angelus poſt primum actum charitatis, quo beatitudinem meruit, ſtatim beatus fuit.* Et ad 2. *oportet* (inquit) *diverſa inſtantia accipi, in quorum uno meruerit beatitudinem, & in alio fuerit beatus.* Probat autem in corpore art. ſic: Sicut Angelus ex ſua natura ordinem habet ad ſuam perfectionem naturalem, ita ex merito habet ordinem ad gloriam; ſed naturalem perfectionem non per diſcurſum, ſed ſtatim per naturam habet; ergo ſtatim poſt meritum habet beatitudinem. Et ſic unico inſtanti meritum, & via boni Angeli conſummationem accepere, & in altero beatitudo conſecuta eſt. Unito, inquam, realiter, quamvis æquivalenter duplici: nam prima ejus operatio bona perſeverans æquivaluit duplici operationi diſcontinuatæ malorum Angelorum, & proinde duplici inſtanti.

XIV. Dico ſecundo. Via malorum Angelorum tribus inſtantibus videtur fuiſſe completa; in quorum primo cum cæteris meruerunt; in ſecundo peccaverunt; in tertio peccati pœnam receperunt. Docet enim S. Th. *qu. 63. art. 6.* quod in primo inſtanti Diabolus meruit, & ſtatim poſt primum inſtans ſuæ creationis peccavit. Ecce duas operationes diverſas, & non ſubordinatas conſtituentes duo inſtantia angelica, nempe meritum, & demeritum. Tertium vero inſtans colligitur ex eodem principio. Cum enim actus Angeli peccantis, & conſequenter pœnam merentis præcedat, & diverſus ſit ab eo, quo extra ſtatum viæ conſtitutus pœnam contra voluntatem recepit, nec amplius mereri valuit, neceſſe eſt, ut conſtituat diverſum inſtans; ſicut inſtans, quo boni Angeli in ſtatu beatitudinis, & extra ſtatum meriti poſiti ſunt, fuit diverſum; ſicque via malorum Angelorum tribus inſtantibus conſummata fuit, via vero bonorum Angelorum ſolis duobus, ut dictum eſt. Unde D. Thomas quæſt. 63. art. 6. ad 4. *ſic igitur* (inquit) *inſtans primum in Angelis intelligitur reſpondere operationi mentis angelicæ, qua ſe in ſeipſam convertit per veſpertinam cognitionem: quia in primo die commemoratur veſpere, ſed non mane: & hæc quidem operatio in omnibus bona fuit. Sed ab hac operatione quidam per matutinam cognitionem ad laudem Dei ſunt converſi: quidam vero in ſeipſis remanentes facti ſunt nox, per ſuperbiam intumeſcentes, ut Auguſt. dicit 4. ſuper Gen. ad litt.* (cap. 24.) *Et ſic prima operatio fuit omnibus communis, ſed in ſecunda ſunt diſtincti. Et ideo in primo inſtanti omnes fuerunt boni; ſed in ſecundo fuerunt boni a malis diſtincti.* Quæ ſatis.

QUÆSTIO VIII.

De Angelorum malitia quoad culpam.

Relictis Angelis, qui in bono perſeverarunt, ac ſibi beatitudinem meruerunt, ad eos, qui a bono per malitiam defecerunt, præſens Quæſtio ſe ſe convertit cum D. Thoma 1. part. quæſt. 63. cujus ductum, ut in omnibus, ſequemur.

DUBIUM I.

Utrum malum culpæ poſſit eſſe in Angelis.

§. I.

Explicatio difficultatis.

I. Malum culpæ, ſeu peccatum, cum ſit dictum, vel factum, vel concupitum, vel etiam omiſſio contra legem: & lex, alia ſit naturalis, quæ dictat ea, quæ ſecundum naturam ſunt, alia ſupernaturalis, quæ dictat ea, quæ ſecundum finem ſupernaturalem vitæ æternæ facienda, vel omittenda ſunt: ideo dupliciter peccare contingit, ſeu duplex poteſt eſſe peccatum: unum contra legem naturalem; alterum contra legem ſupernaturalem. Eſto autem ſuppoſita elevatione creaturæ rationalis ad finem ſupernaturalem vitæ æternæ: non poſſit dari peccatum contra unam legem, quod non ſit contra alteram; nec dari poſſit averſio a Deo Auctore, & fine naturali, quin ſit indirecte averſio etiam a Deo Auctore & fine ſupernaturali: ſi tamen creatura rationalis non fuiſſet ad ordinem ſupernaturalem elevata, peccatum illius eſſet pure contra legem naturalem. His ſuppoſitis præſens dubium inſtitui poteſt, vel de Angelo in præſenti ſtatu, quo ſupponitur elevatus ad finem ſupernaturalem; vel de eodem in hypotheſi, quod in puris naturalibus fuiſſet relictus.

II. Et quidem loquendo de Angelo in præſenti ſtatu elevationis ad finem ſupernaturalem, eum contra iſtum finem directe poſſe peccare, certum eſt de fide; cum de facto plurimi Angelorum peccaverint, ut Scripturæ teſtantur. Quod ulterius probat D. Thomas hoc art. 1. Sed quia ejus ratio probat, non tantum de Angelis, ſed de quacumque alia creatura intellectuali, ideo prius reſolvetur de creatura intellectuali in communi, ex quo quid de Angelis dicendum ſit, apparebit: deinde de Angelis ſpecialiter, maxime in ordine ad finem naturalem.

§. II.

An detur vel dari poſſit natura creata impeccabilis eam contra finem naturalem, quam ſupernaturalem?

III. Dico primo. De facto non datur, immo nec dari poteſt creatura aliqua intellectualis, quæ ex ſua natura ſit ſimpliciter, & in omni genere impeccabilis. Prior pars adeo certa eſt, ut oppoſitum aſſerens gravi cenſura merito notari poſſet. Si enim Angeli, inter naturas intellectuales de facto creatas perfectiſſimi, peccabiles ſunt, & de facto multi peccarunt, ubi erit ulla alia creatura de facto, quæ ex ſua natura impeccabilis ſit? *Ecce* (inquit Jo. 6. 4. v. 18. 19.) *qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles; & in Angelis ſuis reperit pravitatem: Quanto magis hi, qui habitant domos luteas &c.* Quapropter ait Chriſtus Matth. 19. v. 17. *Unus eſt bonus, Deus.* Et Lucæ 18. v. 19. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi ſolus Deus*; ac ſi illi legis Doctori ipſum tentanti objiceret: (inquit Ambroſius in dictum caput Lucæ) *Quid me dicis bonum, quem negas Deum? . . . Non ergo bonum ſe negat, ſed Deum ſignat.* Et D. Hieronymus in cap. 6. ad Galatas, ex mente Pauli eſſe dicit: *excepta Trinitate, omnem creaturam, licet non peccet, tamen poſſe peccare.* Quod intelligendum eſt ex propria natura creaturæ. Unde D. Thom. hac q. 63. art. 1. *Tam Angelus* (inquit) *quam quæcumque creatura rationalis, ſi*

in ſua natura conſideretur, poteſt peccare. Et cuicumque creaturæ hoc convenit, ut peccare non poſſit, hoc habet ex dono gratiæ, non ex conditione naturæ. Et S. Auguſt. lib. 2. (alias 3.) contra Maximin. c. 12. de Angelis ait: *Qui non peccaverunt, peccare potuerunt. Et cuicumque creaturæ rationali præſtatur, ut peccare non poſſit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed Dei gratiæ.* Quare non negatur, naturam aliquam creatam ſpeciali Dei gratia reddi poſſe impeccabilem; ut de humanitate Chriſti per unionem hypoſtaticam; de Beatis per viſionem beatificam ſentiunt Theologi; & etiam de B. Verhine Deipara, dum in Terris viveret.

IV. Secunda vero Pars (cujus oppoſitum forte aſſerunt, qui ſubſtantiam creatam ſupernaturalem poſſibilem admittunt, quos rejecimus in *Tract. de Viſione Dei qu. 1. dub. 2.*) probatur primo ratione D. Thomæ *q. 63. art.* 1. Creatura ex natura ſua impeccabilis talis eſſet, ut non poſſet declinare a rectitudine ſui actus in eſſe morali, & hoc ex natura ſua haberet: ſed repugnat talis natura, quæ ſit creata; ergo &c. Major patet, quia peccare eſt declinare a rectitudine, quam debet habere, ſive in naturalibus, ſive in artificialibus, ſive in moralibus; ergo poſſe peccare eſt poſſe declinare &c. ergo non poſſe peccare eſt non poſſe &c. Min. prob. Ut virtus operativa non poſſet declinare a rectitudine ſuæ operationis, deberet, vel eſſe ſua regula, vel ſaltem cum regula recte operandi moraliter ex ſe, & ex natura ſua eſſe conjuncta: ut enim manus Artificis declinare non poſſet a rectitutdine in ſcindendo, deberet eſſe, vel ipſa regula ſcindendi, vel cum regula ſcindendi ita conjuncta, ut ab ea declinare in ſcindendo non poſſet. Sed quia regula ſcindendi non eſt ipſa manus, nec manus naturaliter conjungitur cum regula ſcindendi, ideo manus a rectitudine in ſcindendo poteſt declinare. Sed nulla creatura poteſt eſſe ſua regula operandi moraliter, quia hæc eſt ſola voluntas divina; neque poteſt eſſe naturaliter conjuncta cum ſua regula, nempe cum voluntate divina, in operando moraliter, ut ab ea declinare non poſſit; ſicut nec poteſt conjungi naturaliter cum eſſe, ſeu cum primo ente, ut abſolute, & omnibus modis declinare non poſſit ab eſſe; ergo &c.

V. Confirmatur primo. Repugnat aliqua creatura, cui Deus teneatur dare ſuum concurſum ad eſſe, ut non poſſit eam deſtruere; ergo repugnat aliqua creatura, cui Deus ita teneatur dare concurſum ad bene agendum moraliter in omni genere, ut nequeat ſinere eam declinare a bono morali.

VI. Confirmatur ſecundo. Quia nulla creatura eſt ſuum eſſe, impoſſibilis eſt creatura, quæ ex ſe petat ita conjungi cum eſſe, ut abſolute ab eſſe declinare non poſſit; ergo quia nulla creatura eſt ſua regula in operando, nulla creatura ita conjungi poterit cum regula recte operandi, ut ab ea declinare non poſſit. Ex his conficitur

VII. Secunda ratio, quam S. Auguſtinus, aliique Patres nobis exhibuerunt. Repugnat creatura, quæ non ſit ex nihilo; ergo repugnat creatura, quæ non ſit vertibilis de eſſe in non eſſe, & de bono in malum ex natura ſua, & proinde mutabilis, nedum in eſſe phyſico, ſed etiam in eſſe morali.

Ita S. Auguſt. lib. 12. de Civit. Dei c. 1. *dicimus itaque incommutabile bonum non eſſe, niſi unum verum beatum Deum: ea vero quæ fecit, bona quidem eſſe, quod ab illo; verumtamen mutabilia, quod non de illo, ſed de nihilo facta ſunt.* Et cap. 6. *Si quis quærat* (inquit) *cur quis ſibi fecerit voluntatem malam, inveniet, voluntatem malam non ex eo eſſe incipere, quod natura eſt, ſed ex eo quod de nihilo natura facta eſt.* Lib. inſuper 14. c. 13. de Adamo peccante: *ſed vitio* (inquit) *depravari, niſi ex nihilo facta, natura non poſſet. Ac per hoc, ut natura ſit, ex eo habet quod a Deo facta eſt; ut autem ab eo quod eſt deficiat, ex hoc quod de nihilo facta eſt. Nec ſic defecit homo, ut omnino nihil eſſet: ſed ut inclinatus ad ſeipſum minus eſſet, quam erat, cum ei, qui ſumme eſt, inhærebat*; concluditque, quod Adam relicto Deo cœpit non quidem jam nihil eſſe, ſed *nihilo propinquare.*

VIII. Idem quoque S. Fulgentius *lib. de Fide ad Petrum cap.* 3. Inde probans, Deum *ſummum, atque incommutabile bonum, quia æternum bonum eſt, nullum habens defectum, quia non ex nihilo factum; nullum habens profectum, quia non habet initium.* Subjungitque: *Ideo quippe naturæ a Deo factæ proficere poſſunt, quia eſſe cœperunt: ideo deficere, quia ex nihilo factæ ſunt.* Loqui autem eum de defectu non ſolum phyſico, ſed etiam morali, patet ex antecedentibus, & etiam ex iis, quæ dicit c. 25. nempe, quod Angeli beati non jam poſſunt *in deterius mutari*, non quia eis *ſit naturaliter inſitum, ſed poſtquam creati ſunt, gratiæ divinæ largitate collatum.*

Hoc pariter docent S. Gregorius *lib. 25. Moral. cap. 5. modo* 6. dicens de natura humana lapſa per peccatum, quod ideo mutabilis eſt, quia *ex nihilo eſt condita*, & *ex eo quod creatura eſt, deorſum ire debet.* Et Damaſcenus lib. 2. de Fide cap. 3. *Quidquid* (inquit) *creatum eſt, mutationi quoque ſubſit neceſſe eſt: Id enim unum extra mutationis aleam illud eſt, quod increatum eſt.* Inde infert, quod quia Angeli etiam natura libera eſt, *ut creata, mutabilis eſt, cui liberum ſit, vel manere in bono, & in eo proficere, vel in malum inflecti.* Et Anſelmus *lib. 2. cur Deus homo* cap. 10. adquæſitum: *Cum Deus talem poſſet facere hominem* (ideſt Chriſtum, qui peccare non potuit) *cur non tales fecit Angelos, & duos primos homines, ut ſimiliter, & peccare non poſſent?* Reſpondet: *Quoniam nec potuit, nec debuit fieri, ut unuſquiſque eorum eſſet idem ipſe qui Deus.* En ergo Patres ex conceptu creaturæ factæ ex nihilo trahere, omnem creaturam rationalem eſſe peccabilem, nec aliter fieri poſſe; alias creatura amplius non eſſet, ſed Deus.

IX. Dices primo. Ex quo creatura ſit ex nihilo, inferri quidem, eam eſſe vertibilem in nihilum, quaſi phyſicum, non tamen in nihilum morale. Sicut ex eo, quod omnis creatura, quia ex nihilo, eſt quidem defectibilis per annihilationem; non tamen ſequitur, eſſe defectibilem, etiam per corruptionem, ut patet in Angelis, & cæleſtibus Corporibus.

X. Reſpondeo, negando aſſumptum. Ex quo enim creatura ex nihilo ſit, fit, ut non ſit ipſum ſummum, & incommutabile bonum; nec ei ita determinate adhæreat, quin poſſit ad aliud bonum particulare extra ipſum ſe ſe convertere, & ſic a regula recedere, & peccare; maxime loquendo de ſummo Bono ſupernaturali; cui ſi aliqua immutabiliter adhæret, dum eſt beata, hoc (ait Aug. l. 12. de Civ. Dei cap. 1.) *non ex ſeipſa poteſt, quia ex nihilo creata eſt, ſed ex illo, a quo creata eſt.* Neque officit, quod opponitur. Nam eſſe ex nihilo infert quidem tamquam principium eſſe vertibile in nihilum tam phyſicum, quam morale ex dictis; non infert tamen eſſe corruptibile proprie; nam principium corruptionis eſt materia non ſatiata una forma: cumque in Angeli non ſit materia; in Corporibus autem cæleſtibus eſto materia ſit, ſua tamen forma ſatietur; ideo quamvis Angeli, & Cæli annihilabiles ſint, non ſunt tamen corruptibiles.

XI. Dices ſecundo; Cæli eſto ex nihilo, naturaliter ſunt in ſuis motibus indefectibiles. Natura item ſenſitiva brutorum eſt determinata ad bonum ſenſibile ut bonum, ad malum ſenſibile ut malum, ſic, ut nec bonum poſſit ei per ſenſum proponi ut malum, nec malum, ut bonum; ergo ſimiliter cum natura rationalis ſit perfectior, dari poterit natura cum intellectu ita determinato ad bonum rationale morale, ut non poſſit ei proponi bonum, ut malum, nec malum ut bonum.

XII. Reſpondeo, negando conſeq. Naturæ enim Corporum cæleſtium, & brutorum agunt ex neceſſitate, & ſunt determinatæ ad motus particulares, & particularia bona: natura vero rationalis ex ſua natura libera eſt, & bonum univerſale reſpiciens cum indifferentia; cumque ex quo creata, & ex nihilo in illud mutabiliter, nec cum determinata adhæſione ſoli bono incommutabili feratur; inde eſt, quod ab illo, & a rectitudine declinare ex ſua natura poteſt. Et hoc diſcrimen debent concedere etiam Contrarii: alioquin, ſicut de facto Cæli, & naturæ brutorum indefectibiles ſunt circa proprias actiones; ita ſequeretur, de facto dari naturam rationalem ex ſua natura indefectibilem, quod ipſi negant. Nec propter hoc ſequitur naturam rationalem deterioris conditionis eſſe, ait S. Aug. l. 12. de Civ. Dei cap. 1. *Nec ideo cætera in hac creaturæ univerſitate meliora ſunt, quia miſera eſſe non poſſunt. Neque enim cætera membra corporis noſtri ideo dicendum eſt oculis eſſe meliora, quia cæca eſſe non poſſunt. Sicut autem melior eſt natura ſentiens, & cum dolet, quam lapis, qui dolere nullo modo poteſt: ita rationalis natura præſtantior eſt etiam miſera, quam illa, quæ rationis, vel ſenſus eſt expers; ideo in eam non cadit miſeria.*

XIII. Dices tertio. Nec quod creatura intellectualis ſit ex nihilo; nec quod in ſe non habeat omnem rationem boni; nec quod non ſit ſua regula, obſtant, quin poſſit dari natura intellectualis creata impeccabilis; ergo &c. Ant. prob. Non obſtat primum: alias nec per gratiam reddi poſſet impeccabilis. Et etiam quia gratia, charitas, & virtutes moralex ex nihilo ſunt; & tamen moraliter defectibiles eſſe non poſſunt. Tum tertio, quia Angelus ipſe quamvis ex nihilo, ex ſua natura eſt impeccabilis directe contra finem naturalem.

Non obſtat ſecundum. Nam Angelus in primo inſtanti non poteſt peccare; & tamen nec tunc habet omnem rationem boni.

Non obſtat tertium. Tum eadem ratione. Tum quia nec intellectus noſter, nec angelicus ſunt ſua regula; & tamen nec intellectus noſter errare poteſt circa prima principia, nec angelicus circa verum ſpeculativum.

XIV. Reſpondetur, negando antecd. pro omnibus ſuis partibus: non enim convincunt contra nos. Non quidem prima: nam gratia dum reddit naturam impeccabilem (ut in humanitate Chriſti, & in Beatis) eam non facit ex ſe, & ex natura impeccabilem; ſed ſolum impedit, ne defectibilitas, quæ ſponte ex ipſa petit oriri, poſſit exire in actum ſuum; quod fit, non auferendo a tali natura, quod ſit ex nihilo, ſed eam connectendo cum ſummo Bono, & cum prima regula moralitatis. ---- Gratia vero, charitas, & virtutes morales, quamvis ex nihilo ſint, non tamen verſantur circa bonum in communi cum indifferentia ad bonum ſive conſonum, ſive diſſonum rectæ regulæ, ut verſatur voluntas; ſed ſunt determinationes ad bonum morale, & participationes, ſive formales, ſive virtuales divinarum perfectionum. Quare ſicut habitus pravus, quia eſt determinatio ad malum morale, nequit eſſe principium actionis bonæ moraliter; ita habitus bonus, quia eſt determinatio ad bonum morale, nequit influere in actionem moraliter malam ---- Ad id, quod additur de Angelo, pro nunc dico; quod habere principia operandi indefectibilia in ordine naturali, non eſt ſupra naturam entis creati, & facti ex nihilo, ſicut nec habet principia indefectibilia naturaliter in eſſendo: eſſet tamen contra, & ſupra naturam entis facti ex nihilo habere principia indefectibilia operandi etiam in ordine ſupernaturali, & connaturaliter eſſe determinatum ad bonum ſupernaturale; hoc enim nequit eſſe connaturali alicui ſubſtantiæ, niſi divinæ.

Neque convincit ſecundum. Nam quod voluntas Angeli in primo inſtanti ſit determinata ad bonum ſupernaturale, ex hoc oritur, quia illa prima operatio incipiens cum eſſe ejus, ineſt ei a Deo ſpeciali Auctore, qui indefectibilis eſt, quod in aliis actionibus, quas ex propria deliberatione facit, non con-

contingit, & ideo poteſt eſſe indefectibilis in prima, non autem in ſubſequentibus operationibus.

Eadem ratione non convincit tertium. —— Ad id, quod additur de intellectu ſpeculativo ſive angelico, ſive humano, dico: intellectum humanum ex ſe poſſe conjungi cum habitu principiorum ipſum determinante ad veritatem primorum principiorum naturalium; & ideo circa illa non poſſe errando deficere, & multo magis intellectum angelicum, qui comprehendit omne verum ſpeculativum, at ex hoc ſolum concluditur, quod uterque intellectus ſit ex ſe determinatus ad aliquod verum particulare; non autem ad verum, ut ſic. Et hac ratione etiam voluntas creata ad aliquod bonum particulare poteſt eſſe determinata, non vero ad bonum ut ſic, maxime abſtrahens a naturali, & ſupernaturali. Unde retorqueri poteſt argumentum.

Negari etiam poterat ant. de intellectu humano: hic enim habitu principiorum carere poteſt, & turpiſſime errare etiam circa principia, ut D. Th. *q. 3. de Malo art. 13.* & *2. 2. q. 154. art. 12.* ſupponit.

§. III.

An Angeli per ſe primo, & directe peccare poſſint contra legem naturalem?

XV. Dico ſecundo. Angeli ſunt impeccabiles directe, & immediate contra finem naturalem; unde ſi in puris naturalibus fuiſſent creati forent impeccabiles. Ita omnes Diſcipuli D. Thomæ, uno, vel altero excepto, & alii. Hoc aperte indicat S. Thom. hac *quæſt. 63. art. 1. ad 3.* dicens: *naturale eſt Angelo, quod convertatur motu dilectionis in Deum, ſecundum quod eſt principium naturalis eſſe. Sed quod convertatur in ipſum, ſecundum quod eſt objectum beatitudinis ſupernaturalis, hoc eſt ex amore gratuito, a quo averti potuit peccando*. Ut ergo ſubſiſtat ſtatuta differentia, dici debet, Angelum non poſſe contra finem naturalem peccare; bene tamen contra finem ſupernaturalem. Idem docet *q. 16. de Malo art. 3.* ubi loquens de peccato Diaboli: *Quidquid* (inquit) *aliud dici poteſt, quod ad ordinem naturæ pertineat, in hoc ejus malum conſiſtere non potuit*. Et rationem reddit. Quia *malum non invenitur in his, quæ ſunt ſemper actu, ſed ſolum in his, in quibus potentia poteſt ſeparari ab actu*: ſed quidquid naturale eſt, Angeli ſtatim ab initio conditionis habuerunt, *tamen erant in potentia ad ſupernaturalia bona, quæ per Dei gratiam conſequi poterat*. Unde concludit: *relinquitur ergo, quod peccatum Diaboli non fuerit in aliquo; quod pertinet ad ordinem naturalem, ſed ſecundum aliquid ſupernaturale*. Quibus probat, peccatum Diaboli non fuiſſe in aliquo naturali, quia in hoc ordine, in quo erat ſemper in actu peccare non potuit. Unde art. 5. ejuſdem q. ad 10. *Liberum* (inquit) *arbitrium Diaboli non eſt naturaliter vertibile quantum ad naturalia ſua, ſed ſolum habet vertibilitatem reſpectu ſupernaturalium, ad quæ poteſt converti, vel ab is averti*.

XVI. Ratio vero fundamentalis eſt. Angelus amat Deum auctorem, & finem naturalem neceſſario neceſſitate tum quoad ſpecificationem, tum quoad exercitium, ut ſuperius *q. 6. Dub. 2. §. 2.* probatum eſt: ſed amor Dei Auctoris, & finis naturalis excludit omne peccatum contra Deum Auctorem naturalem, etiam poſſibile, ſi ſit neceſſarius, ut ab eo diverti non poſſit; ergo &c. Minor probatur a pari. Nam amor Dei finis ſupernaturalis, ſi ſit ſuper omnia, & neceſſarius, excludit omne peccatum etiam poſſibile contra Deum Auctorem ſupernaturalem, ut patet in Beatis; non enim compati poteſt cum libertate eligendi media moraliter contraria tali fini, ſed ſolum cum libertate eligendi, hoc vel illud medium conducens ad talem finem; ergo ſimiliter amor Dei ſuper omnia Auctoris, & finis naturalis &c. excludit omne peccatum, & potentiam peccandi contra Deum Auctorem, & finem naturalem.

XVII. Neque reſpondeas, hoc verum fore, ſi Angelus neceſſario diligeret Deum Auctorem, & finem naturalem amore amicitiæ, ſeu benevolentiæ; ſecus vero ſi diligeret (ſicut de facto diligit) eum amore concupiſcentiæ, ut bonum ſibi; ut ſcilicet ab eo conſervetur.

Nam contra eſt. Amor, quo Angelus neceſſario diligit Deum Auctorem, & finem naturalem, diligit eum non ſolum ut bonum ſibi, ſed ut ſummum Bonum in ſe; diligit enim eum plus quam ſeipſum, quia eum diligit ſicut pars ſuum totum, pars autem plus amat totum, quam ſeipſum; ergo amat Deum non puro amore concupiſcentiæ, alias plus amaret ſeipſum, quam Deum, ſed amore benevolentiæ.

XVIII. Secunda ratio eſt. Nequit eſſe poſſibile peccatum in voluntate, quin aliquis defectus moralis præcedat in intellectu: ſed in intellectu Angeli nullus præcedere poteſt defectus, etiam practicus, circa Deum Auctorem, & finem naturalem: non erroris, aut ignorantiæ; horum enim angelicus intellectus capax non eſt: nec inconſiderationis: cum Angelus ſit neceſſitatus ad actualem conſiderationem Dei finis naturalis. In his autem (*ait D. Th. q. 16. de Malo art. 3. citato*) quæ ſunt ſemper actu, malum inveniri non poteſt, ſed ſolum in his, in quibus potentia poteſt ſeparari ab actu, ergo &c. Cumque hæc conſideratio Dei, a qua Angelus ceſſare non poteſt, ſit conſideratio, quæ movet eum ad amandum Deum ſuper omnia, ut finem naturalem; ſequitur, in eo non eſſe poſſibilem, nedum inconſiderationem ſpeculativam, ſed nec practicam, ſeu moralem.

XIX. Ex his infertur ſecunda pars. Si enim Angeli in puris naturalibus fuiſſent conditi, aliam cognitionem non habuiſſent, niſi Dei Auctoris, & finis naturalis; ſed contra Deum in tali ordine peccare non poſſent, ut oſtenſum eſt; ergo in tali caſu eſſent omni modo impeccabiles.

XX. At inquies. Si ita eſt; ergo Deus maximam Angelis quaſi injuriam fecit, elevando illos ad ordinem ſupernaturalem, in quo peccare potuerunt, immo eorum multi peccaverunt. Sed contra. Sicut enim (ut ſuperius §. præcedente n. 12. cum S. Auguſtino dicebamus) nulla eſt injuria, ſed maximum potius beneficium, quod homini conceſſa ſit libertas, quæ denegata eſt lapidi, quamvis ex hoc ſequatur, quod homo poſſit peccare, & fieri miſer, lapis vero non; quia poſſe peccare, & fieri miſera non habet libertas, ut a Deo eſt, a quo potius adjuvatur, ne peccet, ſed ex ſeipſa, ut ex nihilo eſt, & ex voluntate, quæ abutitur libertate: ita Angelos fuiſſe ad ordinem ſupernaturalem elevatos, maximum Dei beneficium fuit, quo eos fruitionis ſui ipſius capaces reddidit; & ne ab hoc fine declinarent omnibus auxilia dedit. Quod ſi aliqui tantum bonum in ſuam perniciem converterunt, & in æternum ſe miſeros effecerunt, eorum culpa fuit, non Dei.

XXI. Infertur ex his, quod ſi Angeli in puris naturalibus conditi fuiſſent, in eis nulla fuiſſet capacitas merendi ſuam naturalem beatitudinem. Nam meritum in pura creatura non datur, niſi ad obtinendam ſuam beatitudinem tamquam præmium: cum vero tunc Angeli in ſua naturali beatitudine fuiſſent creati, non fuiſſet ei neceſſarium ullum meritum: ſicut nec Sancti poſt adeptam beatitudinem, amplius merentur. Fuiſſent tamen liberi, non quidem in contemplatione, & amore aliarum creaturarum; ſicut Beati circa Deum, & ſeipſos neceſſitantur, ſed liberi manent circa alias creaturas.

XXII. Sed contra ſtatutum aſſertum objiciunt Scripturam, & Patres aſſerentes, omnem creaturam, nulla facta exceptione, eſſe ex ſua natura defectibilem; & textus a nobis ſuperius §. allati ſunt.

Reſp. Scripturam, & Patres ſolum velle, omnem creaturam eſſe ex ſua natura defectibilem in eſſe, & operari abſolute; ideſt nullam eſſe, quæ aliquomodo defectibilis moraliter non ſit, etiam in ordine naturali, ſive directe, & immediate, ſive ſaltem indirecte, & per accidens; non autem velle omnem creaturam eſſe directe defectibilem circa finem naturalem; cum non repugnet creatura, cui ſit connaturalis & debita adhæſio ultimo fini naturali, maxime ſi ſit creatura excellentiſſima in genere intellectuali, qualis eſt Angelus. Sicut enim excellentiſſima inter corpora, qualia ſunt Cæleſtia, in ſuis operationibus naturalibus ſunt indefectibilia; ita Angelus in ſuis operationibus cum ſit neceſſitatus ad ſuum finem naturalem, eſt propterea indefectibilis circa illum.

XXIII. Sed dices. Hoc ſolum probare, Angelum eſſe indefectibilem in ſuis operationibus naturalibus, & in hoc ſtare paritatem cum Corporibus cæleſtibus docet D. Thomas hac q. 63. art. 1. ad 2. *ſed* (inquit) *ſupra actionem naturalem in Angelis eſt actio liberi arbitrii, ſecundum quam contingit in eis eſſe malum*.

Sed contra ſic. Ergo ſecundum D. Th. ſicut in natura Corporum cæleſtium non poteſt eſſe malum, nec in operatione naturali eorum; ita neque in actione naturali Angelorum poteſt eſſe malum inordinationis: ſed actio Angeli directe tendens ad finem naturalem eſt naturalis, & neceſſaria, & non libera, ut probatum eſt; ergo in ea malum inordinationis contingere non poteſt.

XXIV. Nec dicas. Quia Angelus eſt per naturam incorruptibilis, quamvis ex Providentia ſupernaturali oppoſitum poſſit ei convenire, adhuc dicitur abſolute incorruptibilis; ergo ſi Angelus eſt intra ordinem naturæ indefectibilis, eſto ut elevatus ad ordinem ſupernaturalem ſit defectibilis, adhuc erit abſolute indefectibilis, quod SS. PP. negant.

Reſp. enim, diſcrimen eſſe, quod eſſe deſtruibilem convenit Angelo ex Providentia Dei ſupernaturali operantis ſecundum abſolutam potentiam, & ſupra curſum communem. At Angelus ita eſt indefectibilis directe intra ordinem naturæ, ut ſit directe defectibilis in ordine ſupernaturali, & ſecundum communem Providentiam illius ordinis; & indirecte in ordine naturali: unde eſt abſolute defectibilis.

XXV. Objiciunt ſecundo. Ideo Angelus directe peccare nequit contra finem naturalem, quia ſemper eſt in actuali dilectione Dei Auctoris naturalis: ſed hoc poſito, nequit peccare contra Deum Auctorem ſupernaturalem, quia nequit ſtare perpetua dilectio Dei in ordine naturali cum peccato gravi, & inimicitia Dei Auctoris ſupernaturalis; ergo &c.

XXVI. Reſpondeo, diſt. min. nequit ſtare dilectio Dei efficax ſuper omnia, & appretiativa cum peccato, conc. min. dilectio Dei inefficax, & per modum quaſi proprietatis phyſicæ naturæ Angeli, nego min. Videantur, quæ diximus *q. 6. dub. 2. §. 3. num. 26.* non enim repetenda ſunt. Solum addo, quod Angelo peccante contra finem ſupernaturalem, eſto maneat dilectio Auctoris naturalis phyſice, & quoad entitatem; non manet tamen in eo moraliter, & pro ut eſt amor Dei ſuper omnia, quo pacto incompoſſibilis eſt cum peccato, ob ſuperius dicta; ubi quoque patebit, quid dicendum ſit de Dæmonibus. Hi enim, dum hominibus nocent, peccant, id faciunt ex odio Dei Auctoris ſupernaturalis; ideoque directe peccant ſolum contra legem ſupernaturalem; eſto indirecte etiam contra legem naturalem: Cum enim lumen naturæ dictet, obediendum eſſe omni ſuo legitimo ſuperiori, & Deus, ut Auctor ſupernaturalis, ſit legitimus Angeli ſuperior; ideo Angelus ei non obediens, indirecte frangit legem naturalem. Similiter lex naturalis dictat non eſſe furandum, nec mendacium dicendum, non eſſe deſtructionem ſui appetendam: unde cum Dæmones ex odio Dei Auctoris ſupernaturalis, & juſti in eos Vindicis, talia ſuadent hominibus, ut eos a regno Cælorum avertant; dum etiam deſiderant ſe non eſſe, ut a miſeriis eximantur, eorum peccatum eſt quidem contra legem ſupernaturalem directe: ſed indirecte eſt etiam contra legem naturalem, quam frangunt.

XXVII. Objiciunt contra ſecundam partem. Si Deus creaſſet Angelos in ſolis naturalibus, potuiſſet denegare illis concurſum, & auxilium ad actu obſervanda præcepta naturalia: ſed in tali caſu Angeli peccarent directe contra legem naturalem; ergo &c.

XXVIII. Reſpondeo, negando majorem. Cum enim Angelus ex natura ſua ſit impeccabilis directe contra legem naturæ, teneretur Deus præſtare illi ſuum concurſum ad actualem obſervantiam illius, ſi eum in ſolis naturalibus condidiſſet; alias peccatum illud, quod ex denegatione talis concurſus prodiret, Deo potius, quam Angelo tribueretur. Quia, quando id quod de lege ordinaria fieri nequit, de lege & potentia extraordinaria fit, talis effectus, vel ſoli Deo tribuitur: vel Deo ut cauſæ principali, & creaturæ, ut inſtrumento ſervienti Deo. Sicut cum ignis, cui debite applicato debetur naturaliter actualis combuſtio, poſitus in Babylonica fornace, actu non combuſſit, denegante Deo ſua potentia abſoluta concurſum ad actualem combuſtionem; illa non combuſtio, Deo ut ſpeciali Auctori tributa fuit, non igni, qui ex ſua natura petebat comburere; & ſi eidem Angelo, qui petit ex natura ſua in eſſe conſervari, Deus denegaret concurſum ad eſſe, & Angelus annihilaretur, Deus illius annihilationis Auctor eſſet. Cum ergo Angelus ex natura ſua adhærens Deo naturali Auctori, ac legi ejus, poſitus in puris naturalibus peteret concurſum Dei ad actu legem naturalem obſervandam: ſi hunc Deus illi denegaret, ageret de potentia extraordinaria, & tranſgreſſio inde ſecuta, non prodiret ab intrinſecis naturæ angelicæ, Deo ſolum eam permittente; ſed principaliter Deum haberet Auctorem, voluntatem vero Angeli ad ſummum, ut inſtrumentum in tali tranſgreſſione ſerviens Deo.

Dubium II.

Quodnam fuerit primum peccatum Angelorum?

§. I.

Quædam notantur.

I. Suppono cum D. Thoma hac *qu. 63. art. 2.* peccatum in aliquo poſſe eſſe dupliciter. *Uno modo ſecundum reatum, alio modo ſecundum affectum. Secundum reatum quidem omnia peccata in Dæmonibus eſſe contingit; quia dum homines ad omnia peccata inducunt, omnium peccatorum reatum incurrunt. Secundum affectum vero illa ſolum peccata in malis Angelis eſſe poſſunt ad quæ contingit affici ſpiritualem naturam. Spiritualem autem naturam affici non contingit ad bona, quæ ſunt propria corpori, ſed ad ea, quæ in rebus ſpiritualibus inveniri poſſunt; nihil enim afficitur, niſi ad id, quod ſua natura poteſt eſſe quodammodo conveniens*. Ita D. Thomas.

II. De primo peccato Angeli varie opinati ſunt Veteres. Qui Angelos corpore præditos exiſtimarunt (de quibus fuſe egimus ſupra *qu. 2. Dub. 1. §. 1. nu. 7. &* §. 4. fere per totum) dixerunt, tale fuiſſe Angelorum peccatum. Cum enim Orbi huic adminiſtrando præpoſiti eſſent a Deo, mulierum capti ſpecie, ſtupri cum eis conſuetudinem habuerunt; ac propter imparitatis labem e Cælo, ac Dei conſortio ſunt dejecti; huc trahentes illud Geneſ. 6. ver. 2. *Videntes Filii Dei*, (vel ut ferunt alii Codices, *Angeli Dei*) *filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas legerant*. Ita S. Juſtinus *in Apologia 1. pag.* 44. Clemens Alexandrinus *lib. 3. Stromat. pag.* 450. & *lib. 5. pag.* 550. & alii, quos ſuperius citato loco §. 4. *nu.* 22. retulimus, ac refutavimus.

III. Alii putaverunt, Angelos invidia primum lapſos fuiſſe, quod trifariam exponunt. Quidam voluere, Angelos malos homini invidiſſe, eo quod ad imaginem Dei factus, & expreſſus eſſet. Ita Greg. Nyſſen. *Orat. Catechet. cap. 6.* Ita quoque S. Cyprianus lib. de Zelo, & livore: *Ille* (inquit Diabolus) *dudum angelica majeſtate ſubnixus, ille Deo acceptus, & charus, poſtquam hominem ad imaginem Dei factum conſpexit, in zelum malivolo livore prorupit &c.* nec non Auguſtinus *lib. 1. de Geneſ. ad litt. cap.* 14. qui tamen ex aliorum potius, quam ſua loquitur Sententia. Quidam, ut Lactantius *lib. 2. cap. 9. putavit*, Dæmonem invidiſſe Filio Dei, quem Pater produxerat ſimilem ſui ſpiritum, qui eſſet virtutibus Patris præditus. Alii vero, inter quos Bernardus *Serm. 17. in Cantica*, putant Diabolum invidiſſe homini quod ipſum ſibi parem in gloria futurum præſciverit; *In livore ſuo* (inquit Bernardus) *invidit, & molitus eſt habere ſubjectos, ſocios dedignatus. Infirmiores ſunt, inquit, inferioreſque natura: non decet, eſſe concives, nec æquales in gloria*. Vel quod propter hominem Verbum foret incarnandum, ut putat Fraſſen.

IV. Alii primum peccatum Angelorum volunt fuiſſe inordinatum ſui amorem, & quamdam ſpeciem luxuriæ ſpiritualis, ſitam in nimia complacentia, & delectatione, quam habuit de ſeipſo. Ita Scotus in 2. *diſt. 6. qu.* 2. quem ſequitur ejus Schola.

Tandem S. Thomas hac *qu. 63. art.* 2. omneſque ejus Diſcipuli, ſuſtinent, primum Angelorum peccatum fuiſſe ſuperbiam proprie dictam, quam invidia ſubſecuta eſt, ut dicemus.

§. II.

Reſolutio Dubii.

V. Dico. Primum Luciferi peccatum, ex quo invidia, & cætera peccata ſunt conſecuta, fuit ſuperbia proprie dicta. Ita S. Thom. hac *qu. 63. art. 2. & in 2. diſt. 5. qu. 1. art. 3.* ubi obſervat, *quod ſuperbia tribus modis accipitur. Uno modo, pro ut ſumitur habitualiter; ſcilicet quædam inclinabilitas, vel ex naturæ flexibilitate tantum vel ex fomitis corruptione ad ſuperbiam, & ſic dicitur: ſuperbia initium omnis peccati*. (Hoc autem modo ſuperbia peccatum non eſt, ſed ex peccato eſt, & peccati radix) *Alio modo dicitur ſuperbia ſecundum quod aliquis actualiter ſe effert extra præcepti limites, ut præcipienti non ſubjiciatur: & ſic non eſt ſpeciale peccatum, ſed quædam generalis conditio omne peccatum conſequens ex parte averſionis. Tertio modo dicitur ſuperbia inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, & præcipue in dignitate, vel honore; & ſic eſt ſpeciale peccatum, unum ex ſeptem capitalibus vitiis; & ſic primum peccatum Angeli ſuperbia fuit*. Ita D. Thomas, quod probat. *Tum ex deſiderato; quia eminentiam dignitatis appetiit. Tum etiam ex motivo, quia ex conſideratione propriæ pulchritudinis in peccatum ruit*.

VI. Hoc paſſim teſtantur Scripturæ, & Patres. Scripturæ quidem; nam Iſaiæ 14. ver. 11. ubi ſub perſona Regis Aſſyriorum deſcribitur peccatum Dæmonum, dicitur: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua..... Quomodo cecidiſti de Cælo Lucifer, qui mane oriebaris!... Qui dicebas in corde tuo: in Cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte Teſtamenti &c.* Certe hæc verba non aliud ſpirant, quam elati ac ſuperbi animi tumorem. Unde Tobias cap. 4. ver. 14. inter monita, quæ filio ſuo dedit: *Superbiam* (inquit) *nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio*. Hinc Ambroſius Epiſt. 84. ait: *ſive in lapſu Diaboli, ſive in prævaricatione hominis initium peccati ſuperbia eſt*. Et S. Auguſt. *in Pſal.* 18. ad illa verba: *Et emundabor a delicto maximo*, delictum maximum intelligens illud, *quo cecidit Diabolus*, quod vocat occultum ſuum, & *quo ſeductus eſt homo*, quod vocat *alienum*, ſubdit: *Quo alio, niſi ſuperbia?* S. Bernardus ſerm. 27. modo 66. de diverſis: *Primum* (inquit) *peccatum eſt factum in Cælo per ſuperbiam prævaricatoris Angeli*. Et ſermon. 1. de Adventu: *fugite* (inquit) *ſuperbiam ... quæ non modo Angelum, ſed Angelorum primum in Diabolum commutavit*. Ac demum *ſer. 69. in Cantic.* Angeli & hominis lapſum primo ex ſuperbia proceſſiſſe ait: *Ambo iniquitatem meditati ſunt, altitudinem affectantes; ille potentiæ, iſte ſcientiæ*.

VII. Propterea cum Apoſtoli elati dicerent, Lucæ 10. ver. 17. *Domine etiam Dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo*; Chriſtus mox ſubjecit illis *Videbam Satanam velut fulgur de Cælo cadentem* ver. 18. ideſt (quod obſervat S. Gregorius lib. 23. Moral. cap. 7. modo 6.) *ut in diſcipulorum cordibus elationem premeret, mox judicium ruinæ retulit, quod ipſe magiſter elationis accepit: ut in auctore ſuperbiæ diſcerent, quid de elationis vitio formidarent*. Quo reſpiciens Paulus 1. ad Timoth. 3. ver. 6. monens ipſum, ne in Epiſcopum aſſumeret Neophytum, cauſam reddit, dicens: *Ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat Diaboli*; ait Div. Chryſoſt. homil. 10. in 1. ad Timoth. *hoc eſt, ut in eamdem incurrat damnationem, quam ille per arrogantiam pertulit*. Et his, aliiſque adeo perſuaſum etiam eſt, primum Angeli peccatum fuiſſe ſuperbiam, ut hæc vulgo, *Peccatum Dæmonum*, vocari conſueverit: & Job 41. ver. 25. Lucifer dicatur *Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*. Cum ergo de primo Angelorum peccato loqui debeamus juxta ſenſum Scripturarum, & Patrum; cum tam Scripturæ, quam Patres dicant, hoc fuiſſe ſuperbiam, non video, quo fundamento poſſit oppoſitum ſuſtineri.

VIII. Nunc utraque pars Aſſerti probanda eſt ratione Div. Thom. hac qu. 63. art. 2. Et primo, quod peccatum Angeli fuerit ſuperbia, probat hoc diſcurſu. Angelus, utpote natura pure ſpiritualis, peccare non potuit per affectum ad bona, quæ ſunt propria corpori, ſed ad ea, quæ in rebus ſpiritualibus inveniri poſſunt: ſed in affectu ad bona ſpiritualia non poteſt eſſe peccatum, *niſi per hoc, quod in tali affectu ſuperioris regula non ſervatur*, & hoc eſt peccatum ſuperbiæ, non ſubdi ſuperiori in eo, in quo debet, ergo primum peccatum Angeli fuit ſuperbia.

IX. Confirmatur, ſimulque prævenitur reſponſio. Licet peccator in quocumque peccato nolit ſubjici Deo, cum hac tamen differentia hoc contingit; quod in peccato ſuperbiæ per ſe ſaltem ex modo volendi hoc intendit, in aliis vero peccatis ſolum ex conſequenti, & quaſi conditionem in omni peccato incluſam, ut ſuperius cum Div. Thom. *ex ſecundo ſent.* dicebamus: peccans enim peccato luxuriæ non intendit per ſe, nec ex parte rei volitæ, nec ex parte modi volendi nolle ſubjici ſuperiori, nempe Deo; ſed per ſe intendit delectationem, quæ ex rebus venereis provenit: & quamvis ex hoc conſequatur, eum nolle ſubjici Deo, hoc ex vi talis actus non eſt per ſe intentum: ſed Angelus peccando, ſaltem ex modo volendi, per ſe intendit non ſubjectionem ad Deum, peccavit enim inordinate amando ſuam excellentiam, & naturalem beatitudinem, nolendo eam ſubjicere, ut debebat, Deo auctori ſupernaturali; ergo peccavit peccato ſuperbiæ —— Obſervandum tamen cenſeo, ad ſuperbiam non requiri, quod aliquis expreſſe, aut formaliter eligat non ſubjici Deo, ita ut non ſubjectio ſit res directe volita; ſed ſatis eſſe, ut ex modo volendi, interpretative nolit ſe Deo ſubjicere, ordinate ſcilicet ita diligendo perfectiones, quas habet, ac ſi eas haba-

non haberet a Deo; perindeque ſe gerens ac ſi Deum aſpernaretur, & ei nollet ſe ſubjicere. Ita autem ſe geſſit Angelus, ſuam excellentiam dilexit, quod ſecundum ſe bonum rationi conſonum erat; ſed cum debuiſſet eam Deo referre, ut ab eo acceptam, & ad ulteriorem finem ſupernaturalem ordinare, hoc facere contemſit; & ſic ſuperbiendo peccavit.

X. Ne autem inferas, in hoc fuiſſe potius peccatum inobedientiæ, quam ſuperbiæ, advertere debes: nolle ſe ſubjicere divinæ regulæ, aliter pertinere ad inobedientiam, aliter ad ſuperbiam. Ad inobedientiam enim pertinet, ut dicit fugam, & receſſum a divina regula, ut lex præcipiens eſt: ad ſuperbiam autem, ut dicit proſecutionem excellentiæ creatæ inordinatam, ideſt non ſervando ordinem debitum, eam ſubjciendo divinæ regulæ, non tamquam legi, ſed tamquam menſuræ, & cauſæ cujuſcumque dignitatis, & excellentiæ. Hoc diſcrimen aſſignat Cajetanus in *2. 2. qu. 162. art. 1.* Quia ſicut proprium eſt obedientiæ velle ſubjectionem ad legem, ut lex eſt, & ad Legislatorem, ut talem; ita inobedientiæ proprium eſt nolle ſubjectionem ad illam, & ad Legislatorem. Sicut autem humilitatis proprium eſt moderari appetitum tendentem ad excelſa; ita ſuperbiæ proprius character eſt, hujuſmodi immoderantiam apponere, non ſubjiciendo ſe ad ſuperiorem, & divinam propriæ dignitatis, & excellentiæ regulam, & menſuram. Peccavit ergo Angelus, non quia primo a divina lege, ut tali, receſſerit; ſed quia ſuam excellentiam immoderate appetiit, nec eam divinæ regulæ, ac menſuræ, a qua eam acceperat, & ad quam referre debuerat, ſubjecit: & ideo per ſe primo ſuperbia peccavit, quamvis ex hoc inobedientia (quæ in omni peccato eſt) ſecuta ſit.

XI. Neque ſequitur, immoderatum hunc propriæ excellentiæ appetitum dici potius debere concupiſcentiam, ſed luxuriam ſpiritualem. Nam inordinatus delectationis, ſeu concupiſcentiæ affectus non ſolum invenitur in luxuria, ſed in aliis vitiis, puta in gula, in avaritia, in quibus invenitur inordinatus affectus, & delectatio ciborum, aut pecuniæ; ergo vel omnis immoderata delectatio, luxuria eſt; vel quando aliquis inordinate vult, & ſibi delectatur in cibis, in pecunia, in honoribus, duplex in tali actu reperietur deformitas; una gulæ, vel avaritiæ, vel ſuperbiæ, & altera luxuriæ, vel tandem, quod verum eſt, non omnis immoderata delectatio luxuria eſt. Inordinata ergo delectatio per ſe non conſtituit ſpeciale peccatum, ſed ad eam peccati ſpeciem pertinet, circa quam verſatur; ut immoderata delectatio circa cibum, & potum ad intemperantiam; circa pecuniam ad avaritiam; circa res venereas, ad luxuriam; circa laudes, dignitates, & excellentias, ad ſuperbiam.

XII. Altera vero pars, nempe quod peccatum ſuperbiæ ſecuta ſit in Angelo etiam invidia, probatur a D. Thom. hoc *art. 2*, ſic. Ejuſdem rationis eſt, quod affectus tendat in aliquid appetendum, & quod renitatur oppoſito: Invidus autem ex hoc de bono alterius dolet, in quantum bonum alterius æſtimat ſui boni impedimentum. Quare ex affectu, quo quis appetit præferri aliis, ſeu non habere parem in excellentia, qui pertinet ad ſuperbiam, naſcitur alter affectus, quo de bono alterius doleat, æſtimans, per illud excellentiam ſuam obſcurari, qui eſt actus invidiæ. Cum ergo Angelus peccaverit appetendo excellentiam ſingularem, quæ quidem ſingularitas per alterius excellentiam ceſſat; *ideo poſt peccatum ſuperbiæ conſecutum eſt in Angelo peccatum invidiæ, ſecundum quod de bono hominis doluit, & etiam de excellentia divina, ſecundum quod eo Deus contra voluntatem ipſius Diaboli utitur in gloriam divinam.*

XIII. In hoc, ſicut in cæteris, S. Thomas ſecutus eſt Magiſtrum ſuum Auguſtinum. Hic enim *lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 14.* ſic ait: *nonnulli dicunt, ipſum ei* (Angelo) *fuiſſe caſum, a ſupernis ſedibus, quod inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porro autem invidia ſequitur ſuperbiam, non enim cauſa ſuperbiendi eſt invidia, ſed cauſa invidendi ſuperbia. Cum igitur ſuperbia ſit amor excellentiæ propriæ, invidia vero ſit odium felicitatis alienæ, quid unde naſcatur ſatis in promptu eſt. Amando enim quiſque excellentiam ſuam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur, vel inferioribus, ne ſibi coæquentur, vel ſuperioribus, quod eis non coæquentur. Superbiendo igitur invidus non invidendo quiſque ſuperbus eſt.* Mitto objectiones, quæ contra hanc reſolutionem pro utraque parte fieri ſolent: tum quia ex dictis ſolvi poſſunt; tum quia apud Auctores quiſquis facile inveniet.

XIV. Quæres, an in Dæmonibus poſſint eſſe formaliter peccata præſumptionis, odii, inimicitiæ, & contentionis?

Reſp. poſſe. Ut enim ait D. Thomas hoc art. 2. ad 3. *ſub ſuperbia, & invidia comprehenduntur omnia peccata, quæ ab illis derivantur, prout in Dæmonibus ponuntur.* Et propterea poſſunt in eis eſſe peccata idololatriæ, infidelitatis, blaſphemiæ, inobedientiæ, idque non modo ſecundum reatum, quomodo in eis ſunt omnia peccata etiam carnalia, ad quæ homines incitant, ſed etiam formaliter, & ſecundum affectum. Ita etiam Div. Auguſtin. *lib. 14. de Civit. Dei cap. 3.*

XV. An vero in Angelis ſit ira: D. Thomas hic ad 2. dicit, quod *ira cum quadam paſſione eſt, ſicut concupiſcentia. Unde ipſa in Dæmonibus eſſe non poteſt, niſi metaphorice.* Cæterum ſi loquamur de ira, non pro materiali, prout eſt accenſio ſanguinis circa cor, & ut paſſio eſt, ſed pro formali, ut dicit appetitum vindictæ, cum quadam triſtitia de malo, quod iratus apprehendit, ut ſibi illatum ab alio: quamvis non poſſit dari in Angelis beatis, & multo minus in Deo propter ea, quæ docet Div. Thom. *1. par. qu. 20. art. 1. ad 2.* in Dæmonibus tamen iram formaliter eſſe poſſe, incongruum non eſt; cum ipſi ſint capaces triſtitiæ, & poſſint appetere vindictam de injuria, quam apprehendunt, ſibi eſſe illatam.

XVI. Furtum autem in Dæmonibus quoad affectum eſſe poſſe, ut cum aliena rapiunt, ſive, ut ea donent ſuis cultoribus, Sagis, Maleficis &c. ſive, ut noceant iis, quos odio habent, probabile eſt; quatenus ex invidia derivantur, & eadem ratione etiam peccatum homicidii, ſi homines necent. Avaritiam autem, ut eſt ſpeciale peccatum, nempe *immoderatus appetitus rerum temporalium, quæ veniunt in uſum vitæ humanæ, & pecunia æſtimari poſſunt*, in Dæmonibus proprie non eſſe docet Div. Thom. hoc *art. 2. ad 2.* Ad hæc enim Dæmones non afficiuntur, *Sed ſi avaritia dicatur omnis immoderata cupiditas habendi quodcumque bonum creatum, ſic avaritia continetur in ſuperbia, quæ eſt in Dæmonibus.* Ita D. Thom. ibi. Qui eadem ratione negat in eiſdem proprie inveniri acidiam. Hæc enim eſt *quædam triſtitia, qua homo redditur tardus ad ſpirituales actus propter corporalem laborem, qui Dæmonibus non competit.*

Dubium III.

Quid appetierit Diabolus peccando? an æqualitatem cum Deo?

§. I.

Aliqua præmittuntur.

I. Ex inordinato amore propriæ ſublimatitis e Cælo corruiſſe Luciferum, ex dictis Dub. præcedente ſatis conſtat, quo ſtatuimus, ejus primum peccatum fuiſſe ſuperbiam: quænam vero, & quanta fuerit excellentia, quam appetiit, in præſenti quærimus. Porro cum tamquam certum habendum ſit, Diabolum ſuperbiiſſe appetendo eſſe, ut Deum; hoc enim nimis aperte teſtantur Iſajas cap. 14. ver. 13. & 14. *In Cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum... ſimilis ero Altiſſimo.* Et Ezechiel. cap. 28. ver. 2. ſub perſona Regis Tyri: *Elevatum* (inquit) *eſt cor tuum & dixiſti: Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris.* Unde Michael, qui primus Lucifero reſtitit: *Quis ut Deus* ei dixiſſe fertur; hoc enim Michaelis ſonat nomen. Et Gregorius Nazianzenus Luciferi caſum hoc carmine expreſſit:

Dum Deus eſſe cupit, tetra caligine totus
Obrutus eſt.

Quia vero dubitari poteſt, an Lucifer appetierit eſſe Deum per æqualitatem; an per imitationem, & ſimilitudinem: & ſi per æqualitatem; an id appetierit appetitu efficaci, & abſoluto; an appetitu inefficaci, & conditionato, qui velleitas dicitur. Rurſus: an appetierit, eſſe Deum abſolute, & in ſe; an Deum habere ſibi unitum, ut per Incarnationem (quæ ei forte innotuerat) uniendus erat humanitati Chriſti. Quod ſi per ſolam ſimilitudinem eſſe Deum appetivit, dubitari etiam poteſt; an appetierit ſimilitudinem in eo, in quo creatura poteſt Deo aſſimilari, nempe in donis gratiæ, & gloriæ; ut habendis tamen non ex Deo, & gratia ejus, ſed ex ſua natura, ut ſibi debitis ex juſtitia: vel in eo, in quo creatura Deo aſſimilari non poteſt. Et hoc ſecundum multa: vel ſcilicet appetendo independetiam, & negationem ſubjectionis cuicumque ſuperiori; vel dominium abſolutum, & independens ſuper omnes creaturas, etiam intellectuales; vel ita in ſe quieſcendo, ac ſi eſſet ſibi ſufficiens bonum, nec ad aliud ordinabile.

II. Proterea de hac re variæ natæ ſunt inter Theologos opiniones. Diabolum abſolutam æqualitatem appetiiſſe cum Deo in ſe, opinatur Scotus cum ſua Schola, cui adhærent ex Societate non pauci. Unionem hypoſtaticam, vel quia ſibi debitam; vel eam homini invidendo, vel Chriſto ſe ſubjicere recuſando, deſideraſſe, ſentiunt Alenſis, Catharinus, & alii. Superbiam Dæmonis fuiſſe inordinatum affectum prælationis, & tyrannici dominii ſupra alios Angelos, & inferiores creaturas, ſentiunt Molina, & Becanus. Tandem alii volunt, Luciferum ſuperbiiſſe ſuam naturalem beatitudinem inordinate appetendo; eam ſcilicet ulterius ad beatitudinem ſupernaturalem non ordinando, nec Deo auctori ſupernaturali ſubjiciendo; exiſtimando eſſe in ſeipſo naturaliter beatum, ſicut eſt Deus. Vel ſi peccavit circa beatitudinem ſupernaturalem, hanc deſideraſſe ut propriis viribus acquirendam, & non ex gratia, ſed ex juſtitia reddendam. Utramque partem cenſent probabilem S. Thomæ Diſcipuli.

§. II.

Prima aſſertio contra Scotum.

III. Dico primo. Diabolus peccando non appetiit omnimodam æqualitatem cum Deo in natura. Ita D. Thomas, tum hac qu. 63. art. 3. his verbis: *Dicendum, quod Angelus abſque omni dubio peccavit appetendo eſſe, ut Deus. Sed hoc poteſt intelligi dupliciter. Uno modo per æquiparantiam. Alio modo per ſimilitudinem. Primo quidem modo non potuit appetere eſſe ut Deus; quia ſcivit hoc eſſe impoſſibile.* Ex quo formatur ratio ſic. Angelus peccando non poterat appetere, quod ſciebat evidenter, ſibi eſſe impoſſibile: ſed Angelus evidenter ſciebat, ſibi eſſe impoſſibile eſſe Deum per æqualitatem; ergo hoc non appetiit peccando. Major probatur. Eſto enim contingit aliquando impoſſibile a nobis appeti; hoc ideo eſt quia ex deceptione falſo apprehendimus ipſum poſſibile; quia impoſſibile apprehenſum, ut impoſſibile non poteſt voluntati proponi ut bonum, nec ut appetibile. Min. etiam probatur: Quia ut ait D. Thomas laudatus *nec primum actum peccandi in Angelo præceſſit vel habitus, vel paſſio ligans cognoſcitivam ipſius virtutem, ut in particulari deficiens eligeret impoſſibile, ſicut in nobis interdum accidit.*

IV. Confirmatur ex eodem S. Doct. *qu. 16. de Malo art. 3.* Æqualitas eſt relatio quædam duorum; impoſſibile autem eſt eſſe alterum, qui Deo coæquetur: hoc eſt enim contra eſſentiam Dei, qui cum ſit ipſum eſſe ſubſiſtens, non eſt poſſibile eſſe duo hujuſmodi. Unde quidquid aliud ab eo eſt, neceſſe eſt, ut ſit tamquam aliquid participans eſſe, quod non poteſt eſſe æquale ei, quod eſt eſſentialiter ipſum eſſe: ſed hoc non potuit Diabolus in ſua conditione ignorare; ſtatim enim intellexit ſubſtantiam ſuam, & in ea cognovit Deum eſſe Auctorem ſuum, a quo eſſe participabat; ergo non poterat apprehendere æqualitatem ſui ad Deum ſub ratione poſſibilis. Tunc ſic: ſed nullus tendit in id, quod apprehendit, ut impoſſibile; ergo impoſſibile eſt &c.

V. Reſpondet Scotus, quod eſto æqualitas cum Deo apprehenſa fuerit ab Angelo, ut impoſſibilis, adhuc tamen potuit eſſe objectum appetitus ipſius, non quidem efficacis, & abſoluti; ſed inefficacis, & ſub conditione quod eſſet poſſibilis. Et probat tum ex Ariſt. *3. Ethic. cap. 2.* dicente: *Electio quidem non eſt impoſſibilium. Voluntas autem eſt impoſſibilium, puta immortalitatis.* Inſuper damnati Deum odio habentes, vellent Deum non eſſe: at hoc impoſſibile eſſe, & ipſi apprehendunt. Suaderi etiam poteſt ex illo ferventiſſimo dilectionis actu, quo S. Auguſtinus ferebatur in Deum, dicens: *Domine ſi eſſes Auguſtinus, & ego poſſem eſſe Deus, mallem, te quam me eſſe Deum.* Immo ſæpius juſti optant Deum diligere amore infinito, & pœnitentes deſiderant, ſe nunquam peccaſſe: hæc autem ſunt, & judicantur impoſſibilia. Ad hunc ſenſum trahi poſſe videtur etiam S. Thomas *1. 2. qu. 13. art. 5. ad 1.* ubi ait: *Voluntas completa non eſt, niſi de poſſibili, quod eſt bonum volenti: ſed voluntas incompleta eſt de impoſſibili, quæ ſecundum quoſdam velleitas dicitur, quia ſcilicet aliquis vellet illud, ſi eſſet poſſibile.*

VI. Sed contra primo. Ex modo loquendi Scripturæ appetitus Luciferi fuit abſolutus, & efficax, non conditionatus, & inefficax. *In Cælum conſcendam* (inquit Iſaiæ 14. ver. 13.) *ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti.* Non ait: *conſcenderem, exaltarem, ſederem.* Item Ezech. 28. ver. 2. ait: *Deus ego ſum, & in Cathedra Dei ſedi.* Non dixit: *eſſem, ſederem*: atqui ſi voluntate ſolum inefficaci, & conditionata appetiiſſet æqualitatem cum Deo, debuiſſet exprimi per verbum *vellem, conſcenderem &c.* eſt enim pura velleitas, & voluntas, quæ *eſſet*, non quæ *ſit*; ergo &c.

VII. Contra ſecundo. Ad peccatum actuale non ſufficit voluntatis actus, *qui eſſet ſi &c.* ſed requiritur actus, qui de facto, & abſolute ſit in ſubjecto, quamvis de objecto ſub conditione ponendo; quia bonum, vel malum morale non reperiuntur in actu humano, qui poteſt eſſe, ſeu qui eſſet, & non eſt, ſed in eo ſolum, qui de facto eſt: ſicut etſi pro ſigno ſcientiæ mediæ concipiatur in Deo decretum, *quod eſſet ſi*, quia tamen actu in Deo non eſt, non concipitur in Deo pro illo actuale exercitium libertatis. Et ratio eſt; quia qui vult aliquid conditionate etiam ex parte actus, de facto non vult, ſed vellet, ſeu ita diſpoſitus eſt, ut vellet ſi poneretur conditio: ſed actus, qui conciperetur in Angelo appetente omnimodam æqualitatem cum Deo, foret actus non quo de facto appeteret illam etiam ſub conditione, ſed quo eſſet tantum diſpoſitus ad eam appetendam, ſi eſſet poſſibilis; ergo ſicut non conſtitueret Angelum actu volentem, ita nec eum conſtitueret actu peccantem. Min. probatur. Repugnat, voluntatem habere actum aliquem eſto inefficacem circa id, quod non habet rationem boni, quia eſt impoſſibile, ſub conditione quod fieret bonum, ceu poſſibile; ſicut nec viſus actu videre poteſt id, quod non eſt coloratum actu, ſed ſolum ſub conditione; ergo nec Angelus potuit actu appetere æqualitatem cum Deo, quam judicavit ſibi eſſe abſolute impoſſibilem, ſed ſolum ita eſſe diſpoſitus, ut ſi fieri poſſet ei poſſibilis, eam actu vellet.

VIII. Contra tertio. Dato, quod Angelus potuerit habere actum inefficacem circa æqualitatem cum Deo; hæc tamen non potuit eſſe primum ejus peccatum. Nam hoc debuit neceſſario eſſe inordinatus amor, quo adhæſerit alicui ultimo fini: ſed hic debuit eſſe prorſus efficax; nam amor adhæſivus alicui ultimo fini, ut talis debet eſſe dilectio ipſius ſuper omnia, quæ nequit eſſe inefficax tantum & conditionata, cum inferat electionem mediorum, & moveat efficaciter ad conſecutionem illius; ergo &c.

IX. Contra quarto. Eſto voluntas imperfecta, quæ ſolum verſatur circa finem, poſſit ferri ad aliquod impoſſibile; non tamen voluntas perfecta, completa, & electiva: quia voluntas ſimplex, & imperfecta, cum non tendat ad executionem finis, illum reſpicit ſecundum ſe, & præciſam a circumſtantiis, & maxime ab exiſtentia; & propterea in Deo ponimus plura decreta abſoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti circa omnes, vel ſaltem plures combinationes, quamvis facta aliqua ſuppoſitione factæ ſint impoſſibiles. Voluntas vero completa, & electiva tendit ad rem ut in eſſe ponendam, & cum omnibus circumſtantiis; ideoque de re impoſſibili, etiam ſub conditione, quod eſſet poſſibilis, non datur electio; ſed primum Angeli peccatum fuit electio, quia ſimplex voluntas non eſt capax meriti aut demeriti; ergo ſi impoſſibilis eſt æqualitas cum Deo, Angelus non peccavit appetendo æqualitatem cum Deo.

X. Doctrina hæc traditur a Div. Thom. *qu. 16. de Malo art. 3. ad 9.* dicente: *Voluntas, quæ dicitur eſſe impoſſibilium, non eſt perfecta voluntas tendens in aliquid conſequendum, quia nullus tendit in id, quod exiſtimat impoſſibile, ut dictum eſt* (in corp. art.) *ſed eſt quædam imperfecta voluntas, quæ dicitur velleitas, quia ſcilicet aliquis vellet id, quod exiſtimat impoſſibile, ſed ſub hac conditione, ſi poſſibile eſſet. Talis autem non eſt voluntas averſionis, & converſionis, in qua peccatum, & meritum conſiſtit.* Ex hac doctrina, quæ eſt clavis totius præſentis difficultatis, ſequitur, quod malus Angelus fuerit ita diſpoſitus, ut æqualitatem cum Deo appeteret, ſi illi eſſet poſſibilis; non tamen quod de facto voluntate perfecta eam elegerit.

XI. Ex his reſpondetur ad ea, quæ ſuperius in contrarium allata ſunt. Ad primum dico, Ariſtotelem docere noſtram doctrinam, dum dicit, quod quamvis voluntas, nempe imperfecta, poſſit eſſe impoſſibilium; electio tamen eſt ſolum poſſibilium: & inſuper non loqui de impoſſibili ex terminis, & abſolute, quale eſt æqualitas cum Deo; ſed de impoſſibili ſolum ex ſuppoſitione, ut oſtendit exemplum quod adducit de immortalitate, quæ non eſt homini impoſſibilis abſolute, ſed ſolum relate ad cauſas naturales, & pro ſtatu vitæ præſentis.

XII. Ad ſecundum. Vel dico, damnatos non appetere Deum non eſſe abſolute, hoc enim ſciunt eſſe ex terminis impoſſibile; ſed ſolum non eſſe Deum ultorem, & vindicem, quod eſt impoſſibile ſolum ex ſuppoſitione. Vel ſi appetunt, Deum abſolute non eſſe; hoc non appetunt per ſe, ſed ratione alterius prius voliti, nempe liberationis a miſeriis, quæ eſſe nequit, niſi Deo non exiſtente. Omnimoda autem æqualitas cum Deo, ſi appeteretur ab Angelo, deberet appeti per ſe, & abſolute, quod ſine errore ſtare non poſſet. Et dato, quod appeteretur per ſe, tunc primum peccatum Angeli non eſſet appetitus æqualitatis cum Deo; ſed inordinatus appetitus illius rei, puta propriæ excellentiæ, ratione cujus æqualitas cum Deo appeteretur.

XIII. Ad tertium dico, ferventiſſimam illam emphaſim Auguſtini arguere, non quod in eo de facto eſſet talis actus, quo vellet illud impoſſibile; ſed quod ita eſſet diſpoſitus, ut prudenter exiſtimaret, ſe in talem volitionem proditurum, ſi illud impoſſibile fieret poſſibile. Aut ſi de facto in Auguſtino erat talis velleitas, oriebatur ex intenſiſſimo amore, quo Deum amabat, unde non eſt ad rem Adverſariorum, qui volunt, appetitum æqualitatis cum Deo fuiſſe primum actum peccati in Angelo non ortum ex alio priori actu.

XIV. Eodem modo reſpondetur ad id, quod de aliis juſtis dicitur, nimirum, quod vel Juſti de facto non volunt diligere Deum amore infinito; ſed ita ſentiunt ſe diſpoſitos, ut ſi eſſet eis poſſibile, vellent: vel quod talis actus oritur ex alio priori actu, quo ſcilicet ſumme diligunt Deum. Voluntas autem illa, qua pœnitens nollet peccatum ſuum extitiſſe, vel actu in eo non eſt, ſed ſolum eſſet, ſi poſſibile foret; vel ſi eſt, ex alia voluntate oritur, qua de peccato commiſſo intenſe dolet. Uno verbo pœnitens non vult componere peccatum fuiſſe, & non fuiſſe; ſicut Diabolus voluiſſet componere eſſe Angelum, & eſſe Deum.

XV. Quod vero ex Div. Thom. adducitur, jam ſolutum eſt ex dictis ab eodem ſupra *qu. 16. de Malo* citata, nimirum, eum loqui de voluntate imperfecta, non de perfecta, & electiva qualis in Diabolo fuiſſet de æqualitate cum Deo. Vel de voluntate, non quæ actu ſit, ſed quæ eſſet, quod ejus verba oſtendunt, dum ait: *quia ſcilicet vellet illud, ſi eſſet poſſibile.* Neque obeſt, quod Diabolus velit a ſuis cultoribus adorari ut verus Deus. Nam hoc Diabolus facit per deceptionem, cujus eſto homines ſint capaces, maxime poſt peccati corruptionem, ipſe tamen capax non eſt. Quare etſi homines tentet ſuadendo, ut ſibi veram divinitatem exhibeant, non ſequitur, quod illam ſibi abſolute appetierit.

XVI. Secunda ratio, qua D. Thomas tum hac *1. par. qu. 63 art. 3.* tum *qu. 16. de Malo art. 3.* probat, Diabolum non potuiſſe appetere omnimodam æqualitatem cum Deo, talis eſt. Nemo poteſt appetitu proſecutionis tendere in id, quo obtento, videt, & judicat ſecuturam deſtructionem ſui eſſe; & hac ratione (inquit S. Thom. qu. 63. citata) *nulla res, quæ eſt in inferiori gradu naturæ, poteſt appetere ſuperioris naturæ gradum, ſicut aſinus non appetit eſſe equus, quia ſi transferretur in gradum ſuperioris naturæ, jam ipſum non eſſet.* Et in tantum aliquis appetit eſſe in altiori gradu ſecundum accidentalia, quia judicat in ſuo eſſe per illa magis perfici, & firmari: ſed Angelus appetendo æqualitatem cum Deo appetiiſſet id, ex quo ſciebat ſecuturam deſtructionem ſui, & ſuum non eſſe; ſicut ergo ex hoc motivo homo non poteſt appetere fieri Angelum, nec Angelus inferior fieri æqualis ſuperiori; ita & multo magis fieri æqualis Deo: & maxime, quia in eo non poterat eſſe, nec ignorantia, nec error, nec inadvertentia de ſui deſtructione ſecutura.

XVII. Hac ratione ſic expoſita prævenitur reſponſio Scoti dicentis, Angelum appetendo æqualitatem cum Deo appetiviſſe ſuum non eſſe ſolum indirecte, & implicite; ſicut quilibet peccans, indirecte vult non ſubeſſe Deo, ex quo ſequitur, quod velit etiam ſuum non eſſe.

XVIII. Nam non ſtat, quod expreſſe, & formaliter cognoſcatur impoſſibilitas æqualitatis omnimodæ cum Deo, & ſubſiſtentiæ in proprio eſſe, & quod expreſſe non appetatur deſtructio proprii eſſe: cum ergo Angelus expreſſe hanc incompoſſibilitatem cognoſcat, utpote ſemper in actuali ſui cognitione & Dei; non poſſet expreſſe velle æqualitatem cum Deo quin expreſſe vellet etiam ſui deſtructionem. Neque eſt ſimile de homine peccante mortaliter: hic enim vult non ſubeſſe Deo ſolum interpretative; & hoc modo dici poteſt etiam velle deſtructionem ſui. Vult non ſubeſſe Deo moraliter tantum, non phyſice, ſicut vellet Angelus appetendo æqualitatem cum Deo. Sed hæc ſatis.

§. III.

§. III.

Aliæ aſſertiones refutantur.

XIX. DIco ſecundo. Primum Angeli peccatum non fuit, quia appetierit Unionem hypoſtaticam. Hoc aſſertum tria ſupponit. Primum, Angelis dum erant in via fuiſſe revelatum Myſterium Incarnationis ſaltem quoad ſubſtantiam, quod admittit D. Thom. 2. 2. *qu.* 2. *art.* 7. *ad* 1. ex S. Auguſt. *lib.* 5. *de Gen. ad litt. cap.* 19. Et ratio veriſimilitudinis eſt: quia cum Chriſtus ſit Caput nedum hominum, ſed etiam Angelorum, & membris intellectualibus debita ſit notitia proprii Capitis, ut ei ſubjectionem exhibeant debitam, veroſimile eſt, quod Myſterium Incarnationis, ſaltem quoad ſubſtantiam, fuerit eis revelatum, dum eſſent in via; quin tamen eis revelaretur ſuum peccatum, quod fuit occaſio valde remota adventus Chriſti. Sicut enim hoc myſterium revelatum fuiſſe Adamo docet Div. Thom. 3. *par. qu.* 1. *art.* 3. *ad* 5. quin ei revelaretur ſuus caſus, qui tamen fuit occaſio proxima talis adventus; ita & multo magis potuit ſic revelari Angelo.

XX. Supponit ſecundo, Deum omnibus Angelis adhuc in via poſitis præcepiſſe, ut Chriſtum adorarent, & tamquam proprium Caput recognoſcerent; quod indicavit Paulus ad Heb. 1. ver. 6. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Et quidem ſuppoſita revelatione de Chriſto eorum Capite conſentaneum fuit, ut eum adorare juberentur. Hinc ſupponit iſta opinio, Angelum malum primo ſuperbiiſſe circa Unionem hypoſtaticam.

XXI. Hujus tamen oppoſitum oſtendo primo. Nam primum Angeli peccatum fuiſſe circa ſuum ultimum finem; ut enim docet Div. Thom. 2. 2. qu. 163. art. 1. *prius movetur appetitus in finem, quam in id, quod quæritur propter finem*: Unio autem hypoſtatica, eſto ſit finis extrinſecus omnium, non tamen eſt finis intrinſecus, & proprius Angeli, ad quem ordinatus eſt; hic enim eſt beatitudo ſupernaturalis in viſione clara Dei conſiſtens; ergo &c. Præterea; Unionem hypoſtaticam non appetivit, ut ſibi debitam, & propriis viribus acquirendam; quia optime noverat, eam nec ſibi debitam, nec ſuis viribus poſſibilem: alias in ſuo intellectu error aliquis præceſſiſſet, quod ante ejus primum peccatum non fuiſſe, oſtendunt Theologi. Nec eam appetiit invidendo homini. Tum quia, ut ſuperius probavimus, primum Angeli peccatum non fuit invidia, ſed ſuperbia. Tum quia invidia eſt actus fugæ, ſeu odii boni alterius: ſed fuga, & odium non potuit eſſe primum Angeli peccatum, quia fuga oritur ex proſecutione alterius boni cujus malum eſt impeditivum; ergo &c. Eadem quoque ratione non primo peccavit Angelus nolens ſe ſubjicere Chriſto; quia primum Angeli peccatum non potuit eſſe nolitio, ſeu fuga mali: omnis enim notitio, ſeu fuga mali ſupponit volitionem, ſeu proſecutionem alicujus boni. Ut enim docet D. Th. 1. 2. *qu.* 25. *art.* 2. amor eſt prima paſſionum; *quia enim bonum quæritur, ideo refutatur oppoſitum malum*: & ideo actus, qui eſt circa bonum, prior eſt eo, qui eſt circa malum.

Hinc eſto SS. PP. aliqui, ut Auguſtin. *lib.* 1. *de Geneſ. ad litt. cap.* 14. D. Bernardus *ſerm.* 1. *de Adventu, & ſerm.* 27. *in Cantic. &c.* dicant, Angelum invidiſſe homini Unionem hypoſtaticam; aperte tamen citatis locis primum Angeli peccatum fuiſſe ſuperbiam, qua *Altiſſimi ſimilitudinem uſurpare tentavit, & rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*, ait Bernardus *ſerm.* 1. *de Adventu* citato.

XXII. Dico tertio. Primum Angeli peccatum non fuit ambitio Principatus ſuper alias creaturas intellectuales, videlicet, quod omnes naturæ ſuæ, contra Dei voluntatem, parerent; vel quod omnia Dona, quæ Deus cæteris diſtribuit, per ipſum diſtribuerentur, tamquam quid ſuæ naturæ debitum. Et ratio eſt. Nam amor ſeu appetitus poteſtatis, & excellentiæ ſuper alios oritur ex amore inordinato ſui abſoluto, & in ſe; pertinet enim ad ambitionem, ſeu immoderatam præſumptionem, quæ ex more inordinato ſuæ excellentiæ procedit; & ideo non potuit eſſe primum Angeli peccatum, ſed potius conſecuta ad illud. Quare Div. Thom. hac qu. 63. art. 3. poſtquam ſtatuit, primum Angeli peccatum fuiſſe inordinatum appetitum propriæ beatitudinis, concludit: *Quia vero quod eſt per ſe, eſt principium, & cauſa ejus, quod eſt per aliud; ex hoc etiam conſecutum eſt, quod appetiit aliquem principatum ſuper alia habere. In quo etiam perverſe voluit Deo aſſimilari.*

§. IV.

Noſtra Aſſertio ſtatuitur.

XXIII. DIco quarto. Angelus primo peccavit, *quia appetiit ut finem ultimum beatitudinis id, ad quod virtute ſuæ naturæ non poterat pervenire, avertens ſuum appetitum a beatitudine ſupernaturali, quæ eſt ex gratia Dei. Vel ſi appetiit, ultimum finem illam Dei ſimilitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem ſuæ naturæ, non ex divino auxilio, ſecundum Dei diſpoſitionem.* Ita iiſdem terminis S. Th. hac *qu.* 63. *art.* 3. Quod aſſertum duas habet partes. Prima explicatur ſic. Angelus propria excellentia illectus, & quaſi raptus, in ea ita ſibi complacuit, ut diverteret ſe a conſideratione, & ordine ad finem ultimum ſuperiorem & ſupernaturalem in quo tenebatur perſeverare, quod proprie fuit ſuperbire; non ita tamen ut crediderit, ſuam perfectionem, & excellentiam naturalem eſſe ſuum ultimum finem; fuiſſet enim error nimis craſſus) ſed quia ex modo, quo eam appetivit, convertendo ſe ad illam abſque ordine ad regulam ſuperioris, voluntarie ſpernendo regulam, & menſuram a Deo præſcriptam, practice, & in actu exercito ita ſe geſſit; ac ſi judicaſſet, bona ſua naturalia ſibi ſufficere, nec ſuperioribus egere; ſed a ſe eſſe ſufficienter beatum; fuit appetere eſſe ſicut Deum.

XXIV. Hæc ergo prima pars ſic explicata fundamentum habet in Scriptura, & PP. in Script. quidem. Nam Ezech. 28. ver. 5. legitur: *elevatum eſt cor tuum in robore tuo.* ver. 17. *& elevatum eſt cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo &c.* Quæ verba de primo peccato Diaboli ſub perſona regis Tyri exponunt PP. quaſi diceret; quia de decore tuo naturali ſuperbiiſti, in decore tuo, ideſt ob hunc inordinate dilectum, ſapientiam tuam perdidiſti.

In PP. quoque. Nam Div. Auguſtin. *lib.* 12. *de Civitat. Dei cap.* 1. contrarios malorum, & bonorum Angelorum appetitus deſcribens, dicit, quod mali *ſua poteſtate potius delectati, velut ſuum bonum ſibi ipſi eſſent, a ſuperiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt.* Et Div. Gregor. *lib.* 34. *Moral. cap.* 21. *ad* 14. Angelum (ait) peccaſſe: *quia relicto eo, qui vere illi ſufficere poterat, ſe ſibi ſufficere poſſe judicavit*, D. Bernardus de Verbis Iſaiæ: *Vidi Dominum ſedentem*, Serm. 3. ait: peccaſſe, quia ſeipſo voluit eſſe contentus. Et S. Leo *Epiſt.* 93. quia naturali excellentia male uſus eſt.

D. Thomas quoque 3. Contra Gent. cap. 109. ait *potuit igitur in voluntate ſubſtantiæ ſeparatæ eſſe peccatum ex hoc, quod proprium bonum, & perfectionem in ultimum finem non ordinavit, ſed inhæſit proprio bono, ut fini.* Et cap. 110. *ſicut enim* (inquit) *in nobis peccatum eſt ex hoc, quod bona inferiora, ſcilicet corporis, appetimus abſque ordine rationis: ita in Diabolo peccatum fuit in hoc, quod proprium bonum non retulit in divinum bonum.*

XXV. Ratio etiam congrua eſt. Nam aggregatum ex perfectionibus naturalibus, quibus abundabat Angelus, erat bonum valde excellens, ac proprium, & connaturale ejus naturæ: ſed unuſquiſque magis ſuperbit de excellenti bono, quod habet ex ſua natura, & ſibi proprium, quam de eo, quod habet ex largitate alterius; ergo Angelus magis ſuperbiit, & ſibi complacuit in ſua naturali exellentia, ſiſtendo in illa, & eam ad ulteriorem finem non ordinando. Porro cum haberet præceptum de illa ordinanda ad finem ſupernaturalem, ad quem fuerat elevata, & propter quem creata; ideo ſic appetendo ſuam naturalem excellentiam, & in ea tamquam in ultimo fine quieſcendo, inordinate eam appetiit, & peccavit.

XXVI. Neque opponas, hinc ſequi, Angelum primo peccaſſe peccato omiſſionis. Peccatum enim puræ omiſſionis eſt, quando pure omittitur actus; non vero quando ſolum omittitur circumſtantia actui debita. Sicut licet ſit peccatum omiſſionis non audire Sacrum, aut recitare Officium, quando quis ad illud tenetur; tamen audire Miſſam ſine debita reverentia; recitare Officium ſine debita attentione; celebrare Miſſam ſine veſtibus ſacris, peccatum commiſſionis eſt, quamvis adjunctam habens omiſſionem. Concurrunt enim ibi duo præcepta: unum poſitivum de recitando Officium, de audiendo, aut celebrando Miſſam; alterum negativum in eo clauſum, de non recitando ſine debita attentione; de non audiendo Miſſam ſine reverentia; vel non celebranda ſine veſtibus ſacris. Qui ergo recitando Officium; aut audiendo vel celebrando Sacrum præfatas circumſtantias omitteret, peccatum commiſſionis patraret, adjunctum tamen habens peccatum omiſſionis; quia poneret quidem actum præceptum, ſed debitam actui circumſtantiam omitteret. Sic in Angelo aderat præceptum poſitivum charitatis de diligenda propria excellentia, ſervata menſura præfixa; quo poſito ſtatim fuit aliquid præceptum emanans a virtute humilitatis, & obligans pro ſemper, ne diligatur propria excellentia ſine tali menſura, quod obligat ſolum, dum obligat præceptum charitatis: cum ergo Angelus non peccaverit contra præceptum poſitivum charitatis omittendo actum dilectionis ſui cum menſura præfixa, ſed contra præceptum negativum, ponendo actum ſine tali menſura; peccavit peccato commiſſionis directæ, non puræ omiſſionis.

XXVII. Neque dicas, hinc ſequi, Angelum directe peccaſſe contra finem naturalem, perverſe diligendo ſuam beatitudinem naturalem: quod eſt contra ſuperius dicta, quibus Angelum ſtatuimus impeccabilem directæ contra finem naturalem.

Et rurſus: Si ex dictis etiam Angelus diligit ſe, & ſuam beatitudinem naturalem amore neceſſario, tam quoad ſpecificationem, quam quoad exercitium; quomodo in tali dilectione ſtatuitur primum Angeli peccatum?

XXVIII. Reſpondetur enim negando ſequelam. Cum enim ſupponamus pro eo inſtanti fuiſſe præceptum de diligenda propria excellentia cum ordine ad finem ſupernaturalem; Angelus eam diligens ſine tali ordine, per ſe, & directe tranſgreſſus eſt præceptum ſupernaturale, & averſus a Deo Auctore, & Fine ſupernaturali: ex quo indirecte ſecuta eſt averſio a Deo Auctore etiam naturali.

XXIX. Ad id, quod additur, dico cum Ferrarienſi 4. *Contra Gentes cap.* 109. quod eſto Angelus neceſſario feratur ad ſuum finem, ſeu beatitudinem naturalem ſumptam abſolute, & ſecundum ſe; ad eam tamen, ut ordinatam, & ſubordinatam altiori fini, & beatitudini, nempe ſupernaturali, libere feratur; & ideo eſto peccare non poſſit in dilectione illius abſolute, & ſecundum ſe ſumptæ, poteſt tamen peccare diligendo inordinate, ſeu non ordinando illam ad finem ſupernaturalem, dum tenetur (ſicut tenebatur pro eo inſtanti) ad illam eam ordinare. Videatur Ferrarienſis citato loco.

XXX. Ex hoc facile intelliges, ſimilitudinem cum Deo, quam Angelus malus appetivit, in hoc ſitam fuiſſe: quod ſicut Deus ſeipſo, & ſuo naturali bono eſt beatus & ipſe ſibi eſt finis ultimus; ita & ipſe Angelus (ex modo tamen apppetendi) voluit ſibi ipſi eſſe ultimus finis, & ſuo naturali bono eſſe beatus, tamquam ſua naturalis perfectio eſſet ſummum bonum, ad nullum aliud perfectius bonum ordinatum.

XXXI. Dico quinto. Satis etiam probabile eſt, Angelum in primo ſuo peccato ſuperbiiſſe, appetendo beatitudinem ſupernaturalem, ut acquirendam viribus naturæ, non auxilio gratiæ. Ita S. Th. ſupra laudatus hac q. 63. a. 3. & q. 16. de Malo a. 3. dicens: *Diabolus non peccavit appetendo aliquod malum, ſed appetendo aliquod bonum, ſcilicet finalem beatitudinem, non ſecundum ordinem debitum, ideſt non conſequendam ſecundum gratiam Dei.*

Hoc Aſſertum priuſquam probetur explicandum eſt. Non intendimus, quod primum peccatum Angeli fuerit appetitus expreſſus, & formalis beatitudinis ſupernaturalis, ut acquirendæ viribus propriis, ſeu ſine auxilio gratiæ: talis enim volitio ſupponeret errorem ſaltem practicum in mente Angeli, quo judicaret beatitudinem ſupernaturalem poſſe acquiri ſine auxilio gratiæ, qui fuit error Pelagii, ut ſuperius oſtenſum eſt, cujus oppoſitum docet D. Thom. hac *q.* 63. *a.* 1. *ad* 4. Sed quod Angelus malus ex modo appetendi, inordinate ſe geſſerit, eam appetendo, non cum ordine ad Deum beatitudinis Auctorem. Cum enim ſciret, eam acquiri non poſſe ſine gratia Dei, & tunc illi urgeret præceptum eam hoc modo per actum ſpei ſolicitandi; hunc actum habere contempſit, & hunc ordinem ſervare: ex quo factum eſt, ut ex modo tendendi ſic eam appetierit, ac ſi, non gratiæ, ſed propriis viribus eam comparare præſumeret.

Ita exponit S. Thom. 1. *p. q.* 63. *a.* 1. citato *ad* 4. his verbis: *Alio modo contingit peccare per liberum arbitrium eligendo aliquid, quod ſecundum ſe eſt bonum, ſed non cum ordine debitæ menſuræ, aut regulæ: ita quod defectus inducens peccatum ſit ſolum ex parte electionis, quæ non habet debitum ordinem, niſi ex parte rei electæ: ſicut ſi aliquis eligeret orare non attendens ad ordinem ab Eccleſia inſtitutum. Et hujuſmodi peccatum non præexigit ignorantiam, ſed abſentiam conſiderationis eorum, quæ conſiderari debent. Et hoc modo Angelus peccavit convertendo ſe per liberum arbitrium ad proprium bonum abſque ordine ad regulam divinæ voluntatis.* Ita S. Doct.

XXXII. Sic explicata Aſſertio colligitur ex S. Anſelmo relato a D. Th. hac *q.* 63. *a.* 3. dicente, *& hoc conſonat dictis Anſelmi* (lib. de Caſu Diaboli c. 3. & 4.) *qui dicit, quod* appetiit illud, ad quod perveniſſet, ſi ſtetiſſet: *& hæc duo quodammodo in idem redeunt, quia ſecundum utrumque appetiit finalem beatitudinem per ſuam virtutem habere, quod eſt proprium Dei.*

Quibus verbis indicare vult S. Doct. quod etſi Angelus peccaverit appetendo beatitudinem ſupernaturalem, eam tamen non appetiit ut formaliter, & in eſſe objecti ſupernaturalem; quia ex modo appetendi eam non appetiit, ut habendam ex viribus gratiæ, ſed per virtutem ſuæ naturæ; eo modo, quo hæreticus dum aſſentitur aliqui articulo fidei, ei non aſſentitur, ut formaliter ſupernaturalis eſt; quia ex motivo naturali ei aſſentitur: & propterea bene dicit D. Thomas, quod ſive dicatur, Angelum peccaſſe inordinate appetendo ſuam beatitudinem naturalem, ſive ſupernaturalem, in idem redit; quia ſemper appetiit beatitudinem naturali modo habendam, ſeu ſemper appetiit, per ſeipſum eſſe beatum, ſicut Deus.

Sic autem probatur Aſſertio. Satis conſonum eſt, teſtimoniis Scripturæ, & PP. Angelum peccaſſe ſuperbiendo circa objectum valde excelſum, & circa finem prorſus ultimum, ad quem Deus illum elevaverat, quia hoc modo ſuperbiendo magis appetiit eſſe ſimilis Deo: ſed hoc objectum valde excelſens, & finis ſimpliciter ultimus, cujus conſecutione magis aſſimilatur Deo, eſt beatitudo ſupernaturalis; ergo &c.

§. V.

Qua via peccatum in Angelos irrepſerit.

XXXIII. CUm in voluntatem irrepere non poſſit peccatum, niſi aliquis defectus in intellectu præceſſerit; ideo ad pleniorem Angelorum peccati intelligentiam quærere operæ pretium duxi, quis defectus in eorum mente præcedens traduxerit peccatum in voluntatem. Quatuor ſunt defectus, qui in intellectu angelico, & humano excogitari poſſunt. Primus eſt *neſcientia*, ſeu carentia illius ſcientiæ, quam quis nec habet, nec natus eſt habere; & hæc cum tantum ſit negatio, non eſt culpa, nec pœna, & locum habet etiam in Angelis, qui non omnia ſciunt, immo multa neſciunt, quæ Deus ſcit. Secundus eſt *ignorantia*; quæ eſt carentia ſcientiæ quam quis natus eſt habere; & hæc habet rationem pœnæ, & poteſt habere etiam rationem culpæ. Tertius, eſt *error* poſitivus, qui tunc adeſt, quando quis aliquam veritatem non ſolum ignorat, ſed de ea habet judicium erroneum, dum putat oppoſitum. Quartus eſt *inconſideratio*, ſeu carentia conſiderationis; quæ ſi ſit de re, quam quis non tenetur conſiderare, eſt ſolum negativa; ſi vero ſit de re, quam quis conſiderare tenetur, eſt privativa.

XXXIV. Non potuiſſe in Angelo eſſe peccatum in voluntate, quin aliquis in ejus intellectu defectus præceſſiſſet, ut certum habeo, quidquid dicat in contrarium Scotus. Primo: quia ſic doceor a D. Th., tum *q.* 16. *de Malo a.* 2. *ad* 4. ſic dicente: *ſemper autem in peccato defectus intellectus, vel rationis, & voluntatis proportionabiliter ſe concomitantur.* Tum 1. 2. q. 77. a. 2. *Cum voluntas ſit boni, vel apparentis boni, nunquam voluntas in malum movetur, niſi id, quod non eſt bonum, aliqualiter rationi bonum appareat: & propter hoc voluntas nunquam in malum tenderet, niſi cum aliqua ignorantia, vel errore rationis. Unde dicitur Proverb.* 14. errant, qui operantur malum.

XXXV. Quibus rationem indicat: quia voluntas cum ſequatur in omnibus ductum rationis, nec velit bonum, niſi ut ſibi propoſitum ab intellectu, non poteſt inordinate ſe gerere circa bonum, niſi inordinate fuerit illi propoſitum; ſicut in cæco ſequente ductum videntis, nequit eſſe inordinatus greſſus, ſi ille, qui videt, & eum ducit ordinate procedat. Et hoc verum eſt, nedum in voluntate peccantis ex ignorantia, ſed etiam peccantis ex malitia & induſtria: in hoc enim adeſt quidem judicium ſpeculativum rectum, cum judicet id, quod facit eſſe contra divinam legem; ſed adeſt etiam judicium practicum non curans de divina lege, ei dictans, conveniens eſſe hic, & nunc ita operari, quo judicio magis rapitur voluntas. Cum enim minus bonum in conſpectu majoris boni ei oppoſiti induat rationem mali, ſi propoſita voluntati obſervantia legis tamquam majori bono, hic & nunc, & efficaciter voluntas vellet oppoſitum; jam proſequeretur malum ſub ratione mali, & refugeret bonum ſub ratione boni, quod eſt ferri extra ſuum objectum.

XXXVI. Nec valet opponere quemdam articulum Pariſienſem, nempe quod *exiſtente intellectu in apice rationis, poteſt voluntas in oppoſitum.* Nam articulus ille loquitur de intellectu exiſtente in apice rationis in habitu, non vero in actu, vel de intellectu ſpeculative exiſtente in apice rationis, & quoad principia univerſalia: non de intellectu particularia hic & nunc practice proponente. Quamquam præfati Pariſienſes articuli pro ea parte, pro qua opponuntur doctrinæ S. Thomæ, revocati poſtea fuerunt a Stephano Epiſcopo Pariſienſi anno 1325. ut ſuperius oſtendi *præſenti Tract. q.* 2. *Dub.* 2. §. 3. *n.* 55. & ab Urbano IV. in Extrav. *Laudabilis Deus*; ubi præcipit, doctrinam D. Thomæ recipi, ut Catholicam, & damnat omnes qui eam damnant, ut erroneam.

XXXVII. Suppono autem; primum peccatum in angelico intellectu nullam præceſſiſſe ignorantiam, aut errorem. Non quidem ignorantiam: nam *Ezechiel.* 28. *v.* 12. Lucifer dicitur plenus ſapientia, & perfectus decore a die conditionis ſuæ. Et rurſus: quia, ut ſuperius diximus, habuit ab initio ſpecies omnium rerum naturalium, & revelationem inſuper omnium, quæ ad recte vivendum in ordine ſupernaturali neceſſaria ſunt. Quod ſi de aliquibus myſteriis Angeli poſtea illuminati ſunt, hoc fuit quoad circumſtantias explicitas, non quoad ſubſtantiam, nec per novarum ſpecierum additionem; & de rebus, quas tunc nati non erant habere: unde fuit potius neſcientia negativa, quam ignorantia.

Neque etiam errorem, loquendo ante primum peccatum; Error enim iſte, vel fuiſſet judicando hæretice falſa eſſe, quæ a Deo revelata ſunt, eiſque aſſenſum negando; & hoc eſſe non potuit, quia talis hæretica negatio ſupponit pertinaciam in voluntate, quæ ante primum peccatum in Angelo ſupponi nequit. Vel temerarie judicando de iis, quæ a Deo illi non fuerant revelata, neque ex revelatis evidenter deducta; & hoc neque: Nam tale judicium fieri non poterat abſque peccato temeritatis in voluntate applicante intellectum ad judicium de objecto ſuper excedente, abſque ſufficienti fundamento, quod ante primum peccatum eſſe non potuit; quamvis poſt peccatum in Dæmonibus eſſe poſſit.

XXXVIII. Qui de hoc plenius inſtrui cupiet, adeat D. Th. *q.* 16. *de Malo a.* 6. ubi poſtquam docuit, quod cum Angeli circa naturalia objecta ſemper ſint in actu per ſpecies, & Dæmones peccato, naturalia non amiſerint; *conſequens eſt, quod nec Diabulus falſam opinionem habere poſſit in his, quæ pertinent ad ejus naturalem cognitionem.* Addit; cum autem ad ea, quæ naturalem eorum cognitionem excedunt Angeli ſint in potentia, *ſic reſpectu hujus cognitionis gratuitæ poteſt in quolibet aliquis defectus exiſtere, aliter tamen, & aliter. Nam in bono Angelo poteſt quidem reſpectu hujuſmodi cognoſcibilium eſſe defectus, ſed ſimplicis negationis, ſecundum quod Dionyſius cap. 7. Eccleſ. Hierarch. dicit, quod a neſcientia purgantur. Non autem poteſt in eis eſſe defectus falſæ opinionis. Quia cum voluntas eorum ſit ordinata, non applicat ſuum intellectum ad judicandum de illis, quæ cognitionem eorum excedunt. Sed in malis Angelis propter inordinatam, & ſuperbam voluntatem poteſt eſſe reſpectu hujuſmodi cognoſcibilium etiam defectus falſæ opinionis; in quantum exhibent præſumptuoſe ſuum intellectum ad judicandum de his, quæ eos excedunt. Et hæc quidem falſitas reſpectu hujuſmodi poteſt in eis eſſe ſpeculative, in quantum ſcilicet in falſum judicium prorumpunt: & practice, ſive affective, in quantum falſo exiſtimant, aliquid eſſe appetendum, vel agendum in ordine ad prædicta cognoſcibilia.* Ita S. Thomas. Cum ergo ante primum peccatum nulla ſupponatur in Angelis ſuperbia, & præſumptuoſa voluntas, nullus ſupponi poteſt error, ſive ſpeculativus, ſive practicus.

XXXIX. Dico ergo. Primum peccatum Angeli irrepſit ex inconſideratione privativa, nempe divinæ regulæ, quam tunc tenebatur conſiderare. Ita D. Thom. hac *q.* 63. *a.* 3. *ad* 4. Non enim irrepſit ex ignorantia, non ex errore, ut probatum eſt: aliunde debuit ex aliquo defectu in intellectu irrepere; reſtat ergo, ut irrepſerit, non quia elegerit malum, ſed quia eligendo aliquid ſecundum ſe bonum, nempe amando propriam beatitudinem, eam non amavit cum ordine debitæ menſuræ, & regulæ.

XL. Notandum tamen cum eodem S. Doct. q. 1. de Malo a. 3. quod *Hoc ipſum, quod eſt non attendere actu ad talem regulam in ſe conſideratam, non eſt malum, nec culpa, nec pœna; quia anima non tenetur, nec poteſt attendere ad hujuſmodi regulam ſemper in actu. Sed ex hoc accipit primo rationem culpæ, quia ſine actuali conſideratione regulæ procedit ad hujuſmodi electionem. Sicut Artifex non peccat in eo, quod non ſemper tenet mente menſuram; ſed ex hoc quod non tenens menſuram procedit ad incidendum. Et ſimiliter culpa voluntatis non eſt, quod non actu*